DISPUTATIO HISTORICA JURIS PUBLICI,

CONTINENS

ORDINUM GENERALIUM TOTIUS BELGII HISTORIAM AB OBITU REQUESENTII USQUE AD EXPUGNATAM ANTVERPIAM.

1576—1584.

DISPUTATIO HISTORICA JURIS PUBLICI,

CONTINENS

ORDINUM GENERALIUM TOTIUS BELGII HISTORIAM AB OBITU REQUESENTII USQUE AD EXPUGNATAM ANTVERPIAM. 1576—1584.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

HENRICI COCK,

JUR. ROM. ET HOD. DOCT. ET JUR. PROF. ORD.

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA LUGDUNO-BATAVA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

DEFENDET

FREDERICUS GUILIELMUS ADRIANUS van KNOBELSDORFF,

TRANSISALANUS.

AD DIEM XXVII MAJI MDCCCXXXV, HORA I—II.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD J. C. EMEIS.

MDCCCXXXV.

EX TYPOGRAPHEO J. G. LA LAU.

MATRI OPTIMAE

SACRUM.

PRAEFATIO.

Ordinum Generalium, qui post obitum Requesentii, generalis Provinciarum Belgicarum contra vim Hispanicam seditionis signum sustulerunt, eamque deinceps sunt moderati, historiam conscribere mihi proposueram, quam hodierno more dicunt constitutionalem et administrativam. *Nimirum exponere volui, non singulares ab iis res gestas, sed jura ab iis usurpata, modumque quo haec jura administrarunt.*

Quibus in rebus explicandis perpetuo sensi, quam longe opella mea abesset a proposito.

Amphora coepit
Institui; currente rota cur urceus erit?

Quidquid sit, disputationem ad haec loca revocavi.

EXORDIUM.

ORDINUM GENERALIUM CONGREGANDORUM CAUSAE ET RATIO.

CAPUT I.

RES CUM REGE ACTAE.

§ 1. *A congregatis inde Ordinibus Generalibus usque ad adventum Joannis Austriaci.*

§ 2. *Ab adventu Joannis Austriaci usque ad deliberationes Colonienses.*

§ 3. *Deliberationes in congressu Coloniae Agrippinae habitae, et a Rege defectio.*

CAPUT II.

RES EXTERNAE.

§ 1. *De rebus actis cum Imperatore et Imperio Germaniae.*

§ 2. *De rebus cum Regina Angliae actis.*

§ 3. *De rebus cum Gallia aliisque regnis.*

CAPUT III.

RERUM DOMESTICARUM MODERAMEN.

§ 1. *Rationes cum Provinciis Hollandia et Zeelandia constitutae.*

§ 2. *Ministeriorum Regiminis, cum Generalis, tum Provincialis, procuratio ab Ordinibus Generalibus ordinata.*

§ 3. *De rei militaris Procuratione.*

§ 4. *De re aeraria procuranda.*

§ 5. *De rebus Ecclesiasticis.*

DISPUTATIO HISTORICA JURIS PUBLICI,

CONTINENS

ORDINUM GENERALIUM TOTIUS BELGII HISTORIAM AB OBITU REQUESENTII USQUE AD EXPUGNATAM ANTVERPIAM. 1576-1584.

EXORDIUM.

ORDINUM GENERALIUM CONGREGANDORUM CAUSAE ET RATIO.

In Congressu Bredano, habito inde a mense Martii ad mensem Julii anni 1575, legati Hollandiae et Zeelandiae postulaverant, velut necessarias pacis instaurandae conditiones, tria haec capita praecipua:

1. Ut milites extranei e Belgio avocarentur.

2. Ut Ordines Generales cogerentur, eâdem formâ, iisdemque juribus instructi, quibus, regnante Carolo V, fuerant congregati.

3. Liberum religionis cultum.

[illegible]

[illegible] Prova-

[illegible] 2 [illegible]

ciae cum reliquis, quas Albanus ac deinde Requesentius armis Hispanicis occupatas tenebant, eamdem perpetuo causam communem habere pergerent. In unâ solummodo re Ordines Hollandiae, postquam deliberationes Bredanae irritae evaserant, longius progrediebantur, quam ab Ordinibus Generalibus factum fuisset. Scilicet Ordines Hollandiae, aestate anni 1575, suspendebant exercitium religionis Romano-Catholicae. Verum contenti illum cultum suspendisse, eum non adeo abrogarunt; multa loca Hollandiae et Zeelandiae ei decreto non adsentiebantur; repugnabat etiam Princeps Arausiacus: et vel de hoc argumento videbantur Hollandiae Ordines cum Ordinibus Generalibus, deliberando, in concordiam redigi posse.

In reliquis Provinciis eadem aderant agebantque incitamenta, quae Hollandiam et Zeelandiam ad arma compulerant. Omnes Provinciae ad easdem omnino et communes rationes ineundas erant concursurae, simulatque praepotens vis imperii militaris Hispanici, quod omnem motum mutationemque rerum adhuc cohiibuerat, aliquantum labefactaretur. Atqui hoc post Requesentii obitum accidit.

Rex, de morte Requesentii certior factus, litteris die 24 Martii anni 1576 datis, Ordinibus Generalibus, et Ordinibus Curiisque singularum Provinciarum nuntiat, se Gubernationem Generalem Belgii

mandare interim Concilio Status, Bruxellis constituto (2).

Erat autem Concilium Status ad res tunc temporis, quae promtum manu et consilio virum inprimis requirebant, gerendas minime aptum et idoneum. Constabat illud Collegium ea tempestate Philippo Duce Aarschottano, Philippo gentis Croyae capite, Ernesto Comite Mansfeltiae, Carolo Comite Barlaemontiae, Maximiliano Barone de Rassenghien, Viglio Zuichemio Praeside, Arnoldo Sasbout, Praeside Concilii privati, Christophoro Assonvillio, et Hieronimo de Roda, Hispano (3).

Quam parva et debilis esset Concilii Status auctoritas, mox patuit. Aestate anni ejusdem 1576 milites Hispani, quibus solita stipendia viginti duorum mensium debebantur, morae non amplius patientes, neque unius ducis imperio constricti, in Zeelandiâ, Brabantiâ, Flandriâ et in Provinciis Wallonicis leges disciplinae militaris aspernari coeperunt.

Quae res mox in generalem furorem exarsit hominum armatorum, civium inermium caedi ac rapinae

---

(2) Bor, l. l. L. VIII f. 134 B. f. 135 A.

(3) De Tassis, Commentariorum L. III § 2. p. 200 Conf v. Meteren, L. V p. 114.

ubique crudelissime indulgentium. In hac vehementissimâ conturbatione, quae singulis Provinciis, urbibus, civibusque brevi exitium erat allatura, cum Concilio Status praesidia deessent ad frenum licentiae injiciendum et rei publicae prospiciendum, sua singulis salus curanda, suisque viribus tuenda fuit.

Concilium Status in summâ versabatur pecuniae inopiâ; de qua jam Requesentius vehementer cum Rege expostulaverat (4). Milites, quibus stipendia non solvebantur, sub Requesentio jam hic et illic tumultuari coeperant. Contra quos arma capiendi ipse Gubernator civibus, rus incolentibus, in Brabantiâ et Flandriâ copiam fecerat (5). Nunc vero generali militum seditione exorta, ConcilioStatus nulla alia via sese expediendi supererat, nisi ut Ordinibus universis singularum Provinciarum potestatem daret, remedia defensionis suis impensis parandi.

Primum hanc facultatem obtinuerunt, eaque confestim usi sunt, Ordines Brabantiae; ut contra milites Hispanos, Campaniam (Kempen-land) populantes, copias armatas, duo scilicet millia peditum, sexcentosque equites, suo nomine conscriberent (6).

---

(4) Bor, L. VIII f. 134 B.
(5) Bor, ibid.
(6) Tassis, Comm. L. III § 5 p. 202. Bor L. IX f. 171 A.

Mox Flandria etiam, Alostiâ per tumultuantes milites occupata, eamdem potestatem a Concilio impetravit (7).

Haec ineunte mense Julio locum habuerunt. Exemplum Brabantiae et Flandriae secuti sunt Ordines aliarum Provinciarum, ut suo Marte similes rationes inirent; quibus sibi, civiumque suorum securitati consulerent.

Mense Octobri tandem idem Ordinibus Gelriae concessum est: *oic crychsvolc aen te nemen, tot bewaer-* » *nisse Conincl. Mats. lande, en hen te defenderen* » *teghen alle vtantlike invasie, gelyc den anderen* » *Stenden gestadet is* (8)." Tumultuantes autem Hispani Edictis diei 26 Julii et 2 Augusti per Concilium supremum, auctoribus praecipue Brabantiae Ordinibus, hostes sunt declarati.

Ita Gubernatione Generali rem, cui ipsa par non erat, agendam committente singularum Provinciarum Ordinibus, sive illâ potius prorsûs sublatâ, necessario inter hos consilii extitit communio; siquidem causam

(7) V. METEREN L. VI p. 117.

(8) *Request en Resolutie* van 10 Oct. 1576, verzoekende vryheid, om, op een algemeenen Landdag, sich tegens de onderdrukkingen des Sp. krygsvolks onderling te mogen verbinden, en unieren, en ten dien einde eenig Krygsvolk te ligten. BONDAM *Onuitgegeven Stukken*, I, p. 15 seqq.

habebant communem. Neque opportunitatem hanc neglexit Princeps Arausiacus, Ordines Brabantiae, Artesiae et Hannoniae, litteris ad ipsos initio mensis Septembris anni 1576 datis, hac de re admonendi (9).

Consilii causaeque communitas mox effecit, ut Flandriae, Artesiae, et Hannoniae Ordines delegatos mitterent Bruxellas, ubi congregati erant Ordines Brabantiae. Hoc factum est mense Septembris, dum auctoritas Concilii Status de die in diem magis in contemtum abibat (10).

In hac rerum conditione intelligebant omnes, Gubernationis Generalis vim ac potestatem restitui non

---

(9) Vid. *Epistola Guilielmi I ad Ordines Brabantiae* d. 2. *mensis Sept. quae extat apud. Bor L. IX f. 156 B.* » Van ghelycken schynt wel, datter geen ander middel en zy » van remedie tot desen, dan wech te nemen alle suspicie » ende wantrouwicheyt, om sich te vereenighen in eenen on- » bindelycken bant van accoort ende vrientschap, welke maec- » ken sal, dat naelatende alle particuliere oneenigheyden tot- » ter decisie ende Ordonnantie der Heeren Staten Generael, » sullen met eender herten ende wille pooghen alleene te ver- » lossen 't gemeyne Vaderlandt van de benautheden ende ty- » rannye der vreemdelingen, opdat by't selfde middel de Hee- » ren Staten Generael, wettelyck vergadert zynde, moghen » daer naer te deghe voorsien met goede ende bequame reme- » dien, dienende tot voorderinghe des dienstsGodes en zyne » Majesteyt, gelyck onse voorsaten ghewoon zyn geweest te » doen.

(10) Tassis, l. l., § 15 p. 209, 210.

posse, nisi eam Ordines in se susciperent. Quo consilio Provinciae illae, quarum legati Bruxellis jam aderant, se statim consociarunt.

Ea consociatio, ut Ordinum Generalium nomen et auctoritatem sibi vindicaret, reliquarum Provinciarum accessione tantum indigebat. Itaque rebus urgentibus, caeteras Provincias, praeter Hollandiam et Zeelandiam, cum quibus dein peculiariter erat agendum, delegati, Bruxellis congregati, aut per ConciliumStatus rogari jusserunt, aut rogarunt ipsi, ut accederent (11). Tres illae Provinciae, prae reliquis universam calamitatem aegre ferentes, accessionem reliquarum non exspectarunt, ut susciperent grave opus patriae, undique quas-

(11) *Brief van den Raad van State, van 22 Sept. 1576 aan den President en Luyden van 's Conincx Raede t' Utrecht*, om den staaten van Utrecht voor te houden, ten einde dezelve eenige Gedeputeerden naer Brussel zenden, om met de staaten van Brabant, Vlaanderen, en Henegouwen, welke zich reeds verbonden hadden, en met de Gedeputeerden van de andere staaten in onderhandeling te treeden, zoo op de onderlinge assistentie tegen de muitende Spanjaarden, als op middelen tot de Generaele Pacificatie dezer landen. Conf. Bondam Onuitgegeven stukken I p. 7.

1 Oct. 1576. *Die van Gelderlandt door den Raad van State verzocht*, eenige naer Brussel afteveerdigen met volle magt, om met de staaten der andere gewesten, over de vrede te handelen. Ibidem p. 10.

1 Oct. 1576. *Brief van de Gedeputeerden der Vereenigde Staten van Brabant, Vlaanderen en anderen, aan die van Gelderland*, om zig te willen voegen met dezelve tot be-

satae, succurrendi, et prohibendi ne illa praeceps in exitium rueret.

Admonitionibus, quas dixi, primum paruerunt Ordines Namurci, quorum legati advenae laudantur Decreto diei 2 Octobris (13). Eos vero in medium recipere Ordinibus congregatis non placuit, quum illorum mandata non sufficerent ad Pacificationem Generalem constituendam, qualem tum jam ille coetus intelligebat modum esse optimum, malo publico medendi.

Die 1 Oct. postquam negotia maxime urgentia procurassent et declarata necessitate plurium Ordinum adventum exspectandi, priusquam majoris momenti quid statueretur, Ordines Generales Provincias per Concilium Status iterum admoneri jusserunt, ut legatos, rite mandatis instructos, Bruxellas mitterent (13).

Cum majore facultate reversi legati Namurcenses

---

houd van 't Vaderland, en vryheid van dien. Ibidem p. 12.

11 Oct. 1576. *Brief van de gemagtigde Staten, te Brussel vergaderd, aan die van Gelderland*, ten zelfden einde. Ibid. p. 21.

Vid. porro N°. XXII—XXVI p. 69 seqq. Vid. De *Transisalania* ibidem N_0. LXX, p. 267.

(12) Vid. *Resol.* d. 2 Oct. 1576 in Collectione a viro doctissimo DE JONGE edita, sub titulo: *Besluiten der Staten Generaal der Nederlanden* D. I bl. 16.

(13) *Res. d. 5 Oct.* in *Besl. der Staten Gen.* D. I bl. 22.

recipi potuerunt in coetum Ordinum Generalium die 12 Oct. (14), horumque mandatum, comprobatum, eodem die ad legatos Provinciarum Insularum, (Lille), Duaci (Douai), et Orchiaci (Orchies), exemplo remissum est, eo cum effectu, ut hos pari mandato, duobus diebus postea, receptos videamus.

Die 19 Oct. legati Trajectini se congregationi obtulerunt; sed quum, ex mandato ipsis delato, deliberare tantum possent, recepti sunt quidem, sed per missas litteras ab Ordinibus Provinciae petere coacti, ut libera agendi potestas ipsis daretur, quippe in quâ omne congregandorum Ordinum consilium positum esset (15). Provincia Artesia, quum legatos misisset, mandatis instructos Ordinum Generalium postulata continentibus, in coetum recipi digna judicata est, d. 30 Octobris.

Porro Provinciis iis, quae se nondum ad Ordines Generales contulerant, litteras inquisitorias mittere statuunt, ut comperiatur, quaenam Ordinum Generalium causam amplecti velint (16).

Provinciae Gelriae, quâcum jam inde a die 9 Oct. de-

---

(14) *Res. d 12 Oct.* loco citato bl. 39. cf. *Commission pour les Deputes de Namur*, ibid. p. 242.

(15) *Res. d. 19 Oct. Besl. der Staten Genl.* D. I bl. 54. Addatur *Bondam*, *Onuitgegeven stukken* D. I bl. 35 ubi relata exstat epistola, Ordinibus Provinciae missa.

(16) *Res. d. 3 Nov. Besl. der Staten Gen*. D. I bl. 93.

liberationes institutae erant, legati die 10 Dec. locum in Comitiis obtinue runt (1).

Perspecto ejus cum libera mandato (*ample Commission*), Ordines Generales legatum Frisiae suscipere opinati sunt die 25 Aprilis 1577 (18).

Legatos Transisalaniae recipiunt die 29 Maji 1577, Groningae vero die 31 Maji (19).

Harum Provinciarum mandata in hoc convenire constat, quod legatis universe plenam potestatem faciant, quietem generalem restaurandi atque recessum militiae peregrinae efficiendi, quod inprimis praecipiunt: *donnant à iceulx* (legatis) *et chacun d'eulx plein poöir, et mandement especial et irrévocable, de comparoir pour illecq, avecq les députez des aultres Etatz, traiter, adviser, resouldre sur les moyens de la dicte pacification, retraicte des Espaignolz et sur le tout, ce qui en depend, sans rien innover la saincte Religion Chatholicque Romaine et deue Obeïssance de saMajesté*(20).

---

(17) *Res. 30 Dec.* ibidem bl. 183. *Bondam* Tom I N_0. XI, XIV, XXII, XXXI, XXXVII.

(18) *Res. d. 25 Apr. Besl. der St. Gen'.* D. II bl. 250. Addatur *Charterboek van Vriesland*, D. III, p. 1119 den 1 April 1577.

(19) *Res. d. 31 Maji, Besl. d. Staten Gen'.* D. II p. 339.

(20) Vid. Mandatum Namurci, *Besl. der St. Genl.* I, p. 242. Mandatum Mechliniae ibid. p. 251. Mandatum Valenciae ibid. p. 279. Mandatum Gelriae BONDAM I, p. 141. Mandatum Frisiae, *Charterboek* II, p. 1119.

Qui legati Provincias suas ita repraesentare censebantur, ac si in tractandis negotiis, mandato contentis, ipsae Bruxellis adessent, atque concionem universorum singularum Provinciarum Ordinum integram efficerent, âe tamen lege ut ultra mandata legatis procedere non liceret.

Ordines Generales ita, quamquam invito Rege congregati (21), suo jure agebant, atque eodem prorsus jure, quo Ordines Hollandiae inde ab anno 1572 usi erant. Institutum Ordinum Generalium hac unice in re differebat ab instituto Ordinum Provincialium, quod illorum nondum, uti Ordinum Provincialium, perpetuum exstiterat et constans et certis privilegiis atque consuétudinibus firmatum Collegium.

---

(21) His verbis Concilium circa inhibitionem, a Rege factam, se exprimit, eamque divulgat: » Soo eest, dat wy, ... niettegen» staende zyne Majesteit gescreven hadde, de hant te houden, » van de Generaele Staten nyet te vergaderen ter tyt toe, dat de » oprechte remedien overgezonden souden zyn mitten nyeuwen » Gouverneur ten alderlangsten teynden dezer maent vanSeptem» bri, 't welk dzelve Majesteit vastelycken toegesegt ende be» loeft hadde, al hadde oeck de voerscr. Gouverneur by for» tuyne belet geweest herwerts te comen .... U daer van » wel willen adverteren by desen, om uwe gedeputeerden opt » allerspoedelicxst binnen dezer stadt te zeynden. BONDAM I, » p. 9.
Ces États Generaux odieux en ESPAGNE, et dont le Roi avoit toujours defendu la convocation: ita ait VAN DER VYNKT, *Hist. des troubles*, Tom. I, chap. III, p. 355.

Quare fundamentum instituti sui omnes Provincias, in unum corpus redactas, referendi sive repraesentandi, ita ponere debebant, ut se primum, ad jura Ordinum Generalium usurpanda, peculiariter consociarent. Atqui consociatio, more illorum temporum, facta est legitime omnino scilicet, quo jura sua vindicarent socii, nec Principis, neque alius cujusquam jura laedentes. Consociati enim nunc eodem officio fungebantur, easdemque partes sustinebant in republica universa administrandâ, quibus in singulis Provinciis Ordines a multo tempore fungi solebant, *sicubi Princeps mente vel corpore terrae deesset* (23).

---

(22) Hanc rem luculenter et accurate explicuerunt Ordines Hollandiae in Edicto suo diei 16 Octob. 1587, quod exstat in *Groot Placaatboek* I, 41. Quarum verba referre operae pretium est:" » Eyntelick is buyten twyfele, dat de administratie van de » Souvereiniteit van de Landen 't allen tyden wettelyck is aan» ghenomen geweest by den Staten derselver, soo wanneer » deur afleyvigheyt of minderjarigheydt, kranksinnigheyt, mis» verstant, of eenige andere inconvenienten, de Landen ver» laten zyn gheweest van de wettelycke bedieninge der prin» cen, die over sulcks dickmaels een hooft hebben ghekoo» ren, die men Vooght, oft Ruwaert noemde."

Vid. de instituto Ordinum Hollandiae anno 1572 A. GORDON, *disputatio de potestate Guilielmi I., cum ordinaria, tum extraordinaria*, Parte II, p. 70 sqq. Lugd. Bat. 1835.

CAPUT I.

RES CUM REGE ACTAE.

§ 1.

A congregatis inde Ordinibus Generalibus usque ad Joannis Austraci adventum.

Ordinum Generalium, quibus frequenter in unum cogendis Carolus V summo studio operam navaverat, congregationi Philippus II, ex consilio Granvellae (1), pertinaciter restiterat. Quo magis Ordines Bruxellis congregati d. 25 Sept. anni 1576 necesse duxerunt epistolâ, Regem de veris consiliis suis certiorem facere (2): » *écrire au Roi la justification de la bonne intention* » *des étatz.*"

Ejusmodi autem epistolam, die 14 Oct. propositam, comprobarunt Ordines Generales, et, mutatis nonnullis locis, eam die 17 Oct. (3) Regi dimiserunt. Eâ

---

(1) Cf. RAUMER's *Briefe aus Paris* Tom I p. 160, 161.

(2) *Res.* d. 25 Sept. *Besl. der Staten Gen.* Deel I bl. 4.

(3) *Res.* 17 Oct. *Besl. der St. Gen.* D. I bl. 47.

Regi declarant, (4) se metuentes, ne perperam ad ipsum e longinquo referrentur res gestae, decrevisse stricta veritate rerum faciem describere.

Oborti motus anno 1566, sapientiâ Ducissae Parmensis, ejusque consiliariorum sedati erant, integra servata regia potestate. Superveniente nihilominus Duce Albano cum copiis Hispanicis, populus, tranquillus et paci deditus, ab his pejus, quam ab infestissimis hostibus, oppressus erat, ita ut lapsu decem annorum has Provincias, olim tantopere florentes, plane exhauserint, in miserorum incolarum desperationem, summumque mercaturae omnium populorum detrimentum, atque adeo Hispaniae ipsius.

Et nunc saevi isti oppressores, omnis officii immemores, flagrante seditione disciplinam omnem recusant, per omnem regionem trucidantes ac populantes, urbibusque exitium minantes. Talia tantaque Ordines Generales adegerunt modos optimos inquirere, quibus, factâ antea pace cum duabus Provinciis belligerantibus, securitas ac tranquillitas per cunctas Provincias instaurari possent et cum his auctoritas Regia.

His perspectis, Majestati regiae mirum non esset, propriae defensionis causa arma tandem suscepisse Or-

---

(4) *Lettre des Etats Generaulx au Roy*, in Besl. der St. Gen. D. I bl. 244.

dines, uti unicum remedium repellendae seditionis furibundae; et ConciliumStatus, non nisi ad extrema redactum, hos perturbatores, perduelles, hostesque patriae declaravisse. Si quid in Ordinibus Generalibus reprehendendum videretur, esset unice hoc, eos nimis diu tanta facinora tolerasse: *toutefois s'il y chied quelque recherche de nos actions, ne s'en trouvera, que d'avoir trop longuement souffert, en attendant l'ordre, que y devoit être applicque de bonne heure.*

Nihil nunc Regi videbatur superesse, nisi ut, relictâ viâ severitatis, qua tot mala erant allata, clementiam suam adhiberet ad animos exasperatos sedandos. Plebs enim interea, dum suspicaretur nonnullos e ConcilioStatus militibus Hispanis favere, qui quinties impune seditione exsultaverant, totum Collegium supremum aggredi minata est, quod ne fieret, nonnulli cives consiliarios istos, speciatim vindictae publicae expositos, apprehenderunt, atque ita causam perniciei ab hoc corpore auferentes, anarchiam a tota patria avertere conati sunt.

Hae rationes Ordines Generales adegerunt Reipublicae subvenire, perpetuumque jugum militiae seditiosae pellere; quae tamen non susceperunt nisi consentiente et annuente ConcilioStatus.

Tandem hujusmodi declaratione finiunt: »*Vous* »*voyez Sire, que la nécessité nous a forcé de*

» *mectre la main à la Republicque. Pourquoy sup-*
» *plions Vostre Majestée, ne recevoir de nous, vos*
» *très obéissants subjectz, aulcune sinistre suspicion,*
» *protestant devant Dieu et Vostre Majestée, que*
» *nous voulons persister en notre sainte foy et reli-*
» *gion Catholique, sans souffrir aulcune altération*
» *en icelle, ni au service et obéissance due à V. M.,*
» *la priant de vouloir y appliquer remède conve-*
» *nable.*"

Ita milites egredi, ante omnia instabant, ad causam praecipuam omnium malorum avertendam. Hoc autem postulabatur ex antiquo privilegio, Brabantiae dato, (quodque reliquae provinciae pariter sibi competere contendebant); ejus autem verba haec sunt: » *de hertogh van Brabant, met de landen van* » *Overmaeze mach gheen oorloghe aennemen oft pan-* » *dinghe doen, hetsy met consent, raet ende wille* » *van steden et Landen, desgelycx en mach hy* » *gheen vreemt kryghsvolc int Lant brengen ofte* » *houden, dan met consent der staten* (5).

Idem declaraverant Ordines Generales anno 1559 uti et Ordines Hollandiae ac Zeelandiae d. 27 mensis Julii

---

(5) Art. 24 Conventionis cum *Maximiliano* initae, d. 16 Maji 1488 v. *Meteren* L. II f. 30 D. *Bor.* L. I f. 14 A.

1574 (6) et occasione congressus Bredani. Atqui nunc hanc materiam quippe cunctis aeque gratam, summo ardore Provinciae omnes persequi decreverunt, et denuo uti primam difficultatem proposuerunt, quod eo liberius fecerunt quum ex mandatis suis potestatem haberent, de recessu militum non solum paciscendi, verum etiam eos expellendi; quare Regem permovere conati sunt milites revocare »*veu que aultrement il n'y a moyen* »*de parvenir à la pacification publicque.*"

Epistola illa tendebat magis ad excusationem praestandam Ordinum, viam semel susceptam prosequentium quam ad veniam implorandam, et opem consequendam, quod forma libelli supplicis denotare videbatur. Nam et Ordinibus persuasissimum erat, Regem in nihilo esse cessurum, qualemcunque etiam formam indueret. Quandoquidem igitur vana forent tentamina Philippum permovendi ut rata haberet acta eorum, qui ipso invito, convenerant, ut deinde nomine Regis, Hispani ipsius signa sequentes, hostes et perduelles declararentur, atque ad eos exterminandos incolae omnes evocarentur, arces ab iis occupatae oppugnari juberentur, eumdemque in finem, copiae ex Provinciis

---

(6) *Dat oversulcx uwe Majesteit denselven uytheemschen, uyt den Landen deet vertrecken.* Bor L. VII f. 44 A.

iis arcesserentur, cum quibus omnis commeatus vetitus erat (7).

Huic epistolae responsio directa abfuit, dum Rex ea se muniret declaratione, se nempe cum fratre Joanne remedia efficacissima esse missurum.

Neque tamen in his nudis dictis permanserunt Ordines Generales, sed quantum possent, se consolidare conati sunt, quem in finem originem dederunt foederi, die 9 Jan. 1577 inito (8), quo se invicem sub poena infamiae obligarunt ad coepta, uno eodemque consilio perficienda; atque singuli, vi mandatorum suorum, promiserunt immotum propositum sibi et successoribus habere, ut religionem Romano-Catholicam et Pacificationem Gandavensem sustinerent, atque, salva obedientia Regi debita, Hispanos expellerent et ut denique omnia adhiberent, quae quieti et saluti communi favere possent, dum se abstinerent ab omni commercio et intelligentia seorsim cum iis colenda, qui hujus Unionis non sint, sed contra se componerent ex illis, quae toti concioni placuissent.

---

(7) *Edicto regio* diei 4 Julii 1575, apud BOR L. VIII f. 100 B.

(8) BOR L. X. f. 210 B. *Unie tusschen de Generale Staten onderlinghe gemaeckt. Add. Res.* d. 9 Jan. *Besl. d. Staten Gen.* D. II. bl. 7, 8.

§ II.

Ab adventu Joannis Austriaci usque ad deliberationes Colonienses.

Pacificatione Gandavensi d. 8 Nov. a 1576 constistuta, egerunt Ordines Generales cum Joanne Austriaco, creato a Rege Gubernatore Generali, et in Provinciam Luxenburghensem advenâ. Ordines certas conditiones exposuerunt, quibus a Rege acceptis, tum demum ipsi novum Gubernatorem accepturi essent. Deliberationes de his conditionibus, intervenientibus legatis imperatoris Rudolphi II ac Ducis Juliaci, viam munierunt ad pactum illud Regis cum Ordinibus d. 12 Febr. 1577 condendum, quod nomine Edicti Perpetui celebratum est (9).

Hoc pacto promittitur pro Rege.

1. Amnestia generalis art. 1, 8, 9.

2. Comprobatio et sanctio Pacificationis Gandavensis, d. 8 Nov. a. 1576 initaeArt. 2.

3. Ut milites extranei dimittantur e Provinciis, neque ipsi redeant unquam, neque alii, nisi propter bellum extraneum, vel universe ejusmodi causam, quae Ordinibus Generalibus perspecta et probata sit. Art 3.

---

(9) Bor L X, fol. 222 A seqq.

Tempus profectionis definitur (art. 4 5), uti et modus proficiscentibus debita stipendia solvendi Art. 14, 15.

4. Ut urbibus, locisque munitis praeficiantur praefecti ex sententiâ Concilii Status, et hac vice tales, qui placeant Ordinibus Generalibus. Art 6.

5. Ut Rex privilegia ac jura Provinciarum sancta teneat et observet sub Gubernatore ac Concilio, tantum indigenis constante. Art. 10.

1. Pollicentur Ordines se servaturos religionem Romano-Catholicam: obedientiam Regi debitam praestituros: pacta cum extraneis inita, esse soluturos: item militiam extraneam ab ipsis conscriptam dimissum iri. Art. 11 12, 13.

2. Joannem Gubernatorem Generalem accipient demum, postquam omnes copiae militum extraneorum recesserint. Art. 16.

Edicto Perpetuo per Regium decretum d. 7 Aprilis confirmato et exteris militibus, exceptis tamen Germanis exeunte mense Aprili, (10) a Joanne dimissis, hic Gubernator Generalis ab Ordinibus Generalibus acceptus est Bruxellis d. 1 Maji a. 1577 (11).

Proximum erat, ut ab Ordinibus Generalibus susciperetur ea Ordinatio reipublicae totius ac religionis, quae in Pacificatione Gandavense promissa erat. Hanc

---

(10) Strada *de bello Belgico* L. IX. p. 522, 523 et 534.
(11) *Res.* d. 2. Maji 1577. *Besluiten Staten Gen.* II Dl.

rem promovere debebat Joannes Austriacus; sed hic fiduciam in se positam, antea jam multis satis dubiam, mox penitus sustulit. Nihil gerere poterat, nisi per Ordines Generales, quorum partes nobiles, ecclesiastici, ac magistratus omnes sequebantur. Igitur Ordines, ante omnia, siquidem aliquam auctoritatem nancisci et gubernare vellet, sibi conciliare debebat. A quo tantum abfuit, ut potius armorum praesidia quaereret, se ad bellum et jurium Regis restaurationem, non ad pacem, quâ regium imperium prorsus interiturum esset, venisse ratus. Reliquos milites alienigenas dimittere perpetuo moratus est; novos etiam conscripsit, pluraque loca munita, eorum ope, invitis Ordinibus, occupata tenuit (12). Ita Ordines suas etiam copias, locaque ab iis occupata, servaverunt.

Ex Pacificatione enim Gandavensi et Edicto Perpetuo a Rege firmatis, certa jura acquisiverant, nunc contra regium Gubernatorem custodienda.

Rege, duabus epistolis d. 24 Aug. et 8 Sept. rogato, ut in locum fratris sui, novum Gubernatorem Generalem mitteret (13), ex decreto d. 25 Sept. (14) Ordines ab Austriaco petierunt, ut sese continens intra Luxemburghi fines, Belgium interea regat ex sententia

(12) Strada L. IX p. 534, 535.
(13) Bor, L. XI. f. 281 B. seqq.
(14) Ibid. f. 288 A. seqq.

Concilii Status, complendi iis personis, quas Ordines nominaturi essent. Operam quoque det apud Regem, ut hic novum Gubernatorem, sanguinis vinculo ipsi junctum, et Ordinibus acceptum, quam celerrime creet.

Haec indignatus rejecit Joannes, atque e contrario Ordinibus gravissimis verbis minatus est, iram Regis nisi statim se a quavis petitione abstinerent, et in benevolentia regia conquiscerent. Hoc facto, Ordines culpâ abruptae deliberationis se purgarunt, edito scripto excusatorio (15).

Die 20 Octobr. Joannes vehementer reprehendit Ordines, quod arcessendo novum Gubernatorem, jura regia infregissent: *eene sulcke groote faulte tegens henluyder prince, sonder Oorloff ofte advys van den welke, niemant gebieden ofte bevelen en mach, noch een anders Gouvernement aennemen* (16).

Sed tempus fallendi praeteritum erat, et jam tandem percepit Joannes, quorsum tot proditiones et fraudes eum deduxissent, quum Ordines Edicto, nomine Regis concepto, declararent se illum non amplius pro Capitaneo Generali cet: agnoscere posse, sed pro temerario, perjuro hosteque patriae (17). Denique die 25 m. Jan. a. 1578 Ordinibus bellum declaravit,

---

(15) Vid. BONDAM, III. N°. LXXVIII. 8 Oct. 1577.
(16) BOR L. XI. f. 305 A.
(17) TASSIS Comment. L. IV p. 277.

iterumque obtestatus est, de bonis suis consiliis ac cupiditate quietis restituendae, dum tantum vellet provincias in statum reducere ac regiminis formam, qualis fuerat tempore Caroli V. (18).

Die 30 Januarii in concionem venit dominus de Selles, a Rege missus ad Ordinibus opinionem Regis explicandam, circa litteras, quae ipsi antea erant missae, ac de quibus supra dicebatur. Hac occasione, Rex declarabat (19) se alium praeter Joännem non tolerare Gubernatorem, uniceque cupere auctoritatem suam, et religionem Romano-Catholicam salvas esse; uti et cuncta ad eam formam redigere, quam Carolus V regimini suo dederat. Horum autem perficiendorum, se Joanni Austriaco plenam potestatem detulisse.

His auditis, Ordines imâ cum convictione statim oblocuti sunt, probantes ea repugnare foederibus initis, dum pace Gandavensi, quam et ipse Rex agnoverat, abrogata essent Edicta, aliaeque dispositiones Caroli V, quae nunc, contra omnem fidem restituenda esse credebat Rex: (20) paratos vero etiam nunc sese affirmant Ordines, ad religionem Romano-Catholicam stabiliendam secundum morem pace Gandavense consti-

(18) Bor L. XII. f. 12 A.

(19) Bentivoglio *Storia di Fiandra* L X. p. 197. Bor XII f. 16 B.

(20) Lett. *Ord. Gen.* diei 15 Febr. 1578. Bor, f. 18, B. et 28 Febr. f. 20 A.

tutum, nec non ad obedientiam Regi debitam, praestandam.

Quânam vero famâ et dignitate apud Regem esset justitia causae Ordinum, mox compertum est; Edicto paulo post prolato, quo Rex concilium Ordinum, quam primum dissolvi jussit, eorumque decreta deinceps sancita nulla dicens, vetuit iis tributa solvi, aut ullo modo obediri.

Ultima vice, intercedentibus Imperatore Germaniae et Regina Angliae tentamina facta sunt ad conciliationem, si fieri posset, efficiendam; horum legatis 13 Articulos ultimarun conditionum a parte Ordinum ad D. Joannem deferentibus; (21) in quibus, uti antea poposcerunt exclusionem Austriaci, confirmationem in ejus locum Archiducis Matthiae atque ea, salvâ auctoritate Ordinibus in pace Gandavense concessa. Denique in Art. 12 exegerunt, ut deficiente Gubernatore, Rex alium substituere non posset; nisi ex voluntate et comprobatione Ordinum. (22).

Atque etiam nunc Austriacus avide occasionem arripuit induciarum rogandarum, perhibens se a Rege Hispaniae mandata accepisse, in quibus arbitrium rerum dirimendarum Imperatori deferretur. At Ordines saepe ex-

---

(21) Bor, XII f. 45 B.

(22) *Dan met wille, ende goetvinden der Staten.* Ibidem.

perti ambiguitatem hanc, eas annuere noluerunt; et quum utraque pars jam antea ferme statuisset, se nihil concessuram fore, tendit hic conventus magis ad partium consilia demonstranda, quam ad aliquid efficiendum (23).

§ III.

Deliberationes in congressu Coloniae Agrippinae habitae, et a Rege defectio.

Imperatore conciliatoris partes agente, mense Maji a. 1579, legati Ordinum convenerunt cum legatis regiis Coloniam.

Ubi primum conditiones proposuerunt legati Ordinum (24) petentes.

1. Ut Rex confirmaret quidquid huc usque statutum esset, etiam creationem Matthiae, cujus mandatum ceteris Gubernatoribus Generalibus exemplo esse deberet. Art. 12. 13.

2. Ut concederet cunctis Provinciis, privilegia Bra-

---

(23) Bentivoglio, L. X. p. 205. *Furono i congressi più d'apparenza, che di sostanza.*

(24) Tassis Commentariorum, L. V. § 44. p. 350.

bantiae, liberandis ab obedientia Regi jurata, si is leges non servaret. Art. 3.

3. Observaretur pax Gandavensis. Art. 11.

4. Maneret religio in statu praesenti, ita ut a neutrâ parte aliter agi possit. Art. 12.

Articulis vero his statim per legatos mediatores rejectis, mitiores conditiones proposuerunt, in quibus omiserunt Articulum tertium, et rem de religione decisioni Ordinum Generalium detulerunt.

1. Ab altera parte Rex, (26) se paratum declaravit, ad oblivionem omnium, quae ab exordio motuum accidissent concedendam, actis Matthiae comprehensis. Art. 1. 2. 3. 15.

2. Restituerentur bona publicata et honores iis, qui illis exussi essent. Art. 9. 10. 16.

3. Liberarentur captivi cujusque partis. Art. 13. 14.

4. Milites extranei Provinciis excederent, et indigenae, ad cives sublevandos exauctorarentur. Art. 5. 6.

5. Suspenderetur exactio tributorum, quae turbarum causa imperata erant. Art. 7 8.

6. De religione autem, art. 17. 18, exclusa quavis alia, Romano-Catholicam per universas Provincias, unice colendam esse postulabat, dissentientibus quadriennio concesso ut territorio excederent.

---

(25) Loco citato, p. 360.

7. Auctoritas et obedientia Regi debita, restituerentur ac servarentur, quales fuerant tempore Caroli V. Art. 19.

8. Pax Gandavensis et Edictum Perpetuum integra manerent, quatenus scilicet utriusque capita praesenti pacto non repugnarent. Art. 2.

9. Renunciarent denique Ordines Generales cunctis foederibus, mutuisque sponsionibus, tam intra quam extra Provincias.

10. Atque comprehenderentur hoc pacto, Regina Angliae et Dux Andegavensis. Art. 22.

Hae conditiones, quamquam in iis multum videbatur concedi, tantopere a consiliis Ordinum distabant, ut legati has ne mandantibus suis transmittendas quidem censerent. (26).

Deliberationibus non progredientibus, in magnam utilitatem Hispanorum, qui interim auctore Duce Parmensi, inducias facere recusabant, ut obsidionem Trajecti ad Mosam persequerentur, Ordines declararunt, se, nisi meliores obtinere possent conditiones, de alio domino sibi constituendo cogitaturos esse. Simulque proposita Ducis Alençonii communicarunt cum legatis mediatoribus, eo effectu, ut hi die 10 Julii novam conditionum delineationem adferrent, in qua

---

(26) Bor, L. XIII. f. 106. B.

tamen a priore vix, ac ne vix quidem deflectebatur (27).

Igitur quum rursus nihil proficerent, iidem tandem die 18 Julii, alias in favorem Ordinum mutatas conditiones obtulerunt (28).

1. His vero penitus concedebatur vis servanda pacis Gandavensis, Unionis Bruxellensis, nec non Edicti Perpetui, secundum omnes eorum effectus. Art. 1.

2. Porro oblivio omnium, quae illegitime dicta vel facta erant, inclusa demolitione arcium, et confirmatione decretorum Archiducis Matthiae atque Ordinum Generalium. Art. 2. 13.

3. Promissio jura et privilegia qualiacunque salva fore. Art. 3. 10.

4. Discessus militum extraneorum et exauctoratio indigenarum. Art. 4. 5.

5. Auctoritas et obedientia Regi debitae restituendae in statum, quo fuerant imperante Carolo V. Art. 15.

6. Rex nominaret Principem gentis regiae, Gubernatorem Generalem, cui traderentur omnes arces et civitates munitae. Art. 16. 17.

7. Renunciarent Ordines Generales foederibus omnibus, opportunitate turbarum initis. Art. 19.

---

(27) Wagenaar, Vaderl. Hist. 27 b. 282 bl.

(28) Bor, L. XIII, f. 109 seqq. Tassis L. V. § 134 seqq.

Comprehenderentur hoc pacto Regina Angliae et Dux Alençonius. Art. 20.

In duobus articulis separatis, res Ecclesiastica ita erat ordinata, ut in Hollandia et Zeelandia, ex pace Gandavensi constituta maneret, hac lege ut urbes Catholicis restituerentur, quas tempore initae pacis occupatas tenuissent.

In reliquis Provinciis religio Romano-Catholica integra servaretur, dissentientes tamen tolerarentur.

Quae capita quum ad Ordinum mandata propius aliquantum accederent, legati illa dijudicanda Ordinibus Generalibus miserunt, qui ea cum Provinciis singulis communicarunt, ut unaquaeque significaret, quid de iis sentiret.

Atque apparuit, de quatuor capitibus jam convenire Regi cum Ordinibus: scilicet.

1. De tuendis Pace Gandavensi, Unione Bruxellensi et Edicto Perpetuo.

2. De amnestia seu oblivionis pacto.

3. De servandis Provinciarum juribus et privilegiis universe.

4. De removendis militibus extraneis.

Neque tamen his concessionibus, quibus, initio turbarum verosimiliter Ordinibus plene fuisset satisfactum, nunc iidem contenti fuerunt.

Etenim praeterea die 24 Nov. 1579.

5. (29) postularunt, ne arces aedificarentur, nisi

assentientibus Ordinibus, cum Generalibus tum Provincialibus.

6. Ne quis admitteretur ad Concilium Status, ad Concilium Secretum, vel Redituum atque Expensarum neque ad alia munera majoris dignitatis et ad Gubernationem Generalem, nisi qui Ordinibus Generalibus acceptus esset.

Idem valeret de Gubernatione vel praefecturis Provinciarum, civitatum, arcium, praesidiorum, aliisque muneribus Provincialibus praecipuis; scilicet ut quis acceptus esset Ordinibus Provincialibus.

Ut omnes ministri publici essent indigenae, fidemque non tantum Regi, sed Ordinibus etiam jurejurando promitterent, sese leges nunc propositas, servaturos. Atque eos oporteret, sub poenâ perjurii et abdicationis, Ordinibus singularum Provinciarum aperire quidquid adversus honorem, commodum sive quietem Provinciae susciperetur.

Princeps gentis regiae, quem Rex Gubernationi Generali praeficeret Ordinibus Generalibus uti acceptus esse deberet ita reliqua harum Provinciarum jura et praesens Edictum conciliationis jurejurando firmaret. Ordines autem Gubernatorem Generalem creandum Regi commendarunt Archiducem Matthiam.

---

(29) Bor, L. XIII, f. 143 seqq.

7. Ut Rex permitteret cultum, tum Reformatae religionis, tum Confessionis Augustae Vindelicorum, in omnibus civitatibus et locis, ubi idem nunc publice vigebat. Ordines autem curarent, ut in omnibus civitatibus et locis, a quibus religionis Romano-Catholicae cultus nunc exsulabat, hic statim post promulgatam pacem restitueretur.

Militibus ab utrâque parte dimissis, et postquam ad pacem omnino reditum esset, Ordines Generales congregati, coram regiis commissariis, omni cum diligentia efficere studerent, ut cultus Reformatae religionis intra tam parvum urbium locorumque numerum coarctaretur, quam in singulis Provinciis fieri posset.

Hollandia et Zeelandia tamen leges Pacis Gandavensis tenerent. Verum et hac in re Ordines Generales operam navarent, ut in Hollandia et Zeelandia etiam cultus religionis Romano-Catholicae in aliquot locis permitteretur.

Patet, Ordines Generales pacem cum Rege hac demum lege componere voluisse, ut in posterum auctoritatis regiae exercitium *regulariter* penderet a consensu Ordinum; ita ut neque Gubernatio Generalis rem gereret sine Ordinibus Generalibus, neque singulae Provinciae regerentur, nisi Ordinum Provincialium communi concilio, *perpetuo* adhibito.

Praecipua differentia, quae his rogationibus interce-

dit cum pacto diei 17 Maji 1579 (30), quo Ordines Artesiae, Hannoniae, Insularum, Duaci et Orchiaci in gratiam cum Rege redierant sita est, praeterquam in conditione de cultu religionis Romano-Catholicae unice servando, in silentio de *Ordinum Generalium* juribus. De quibus quum nihil diceretur, Regi in posterum res tantummodo erat cum Provinciis singulis. Atque hoc ipsum Philippus II ab initio spectaverat, ne aliud Provinciarum unitatis sive communitatis existeret fundamentum, nisi quod potestate Gubernationis Generalis regiae niteretur. Res generales sibi reservans, Rex Ordinum rationem tantum habere volebat, ubi de singularum Provinciarum negotiis juribusque agebatur. E contrario Provinciae, quam maxime *Ordinum Generalium Collegio* certa jura et perpetuam efficaciam tribui confirmarique volebant.

Ordines, durantibus deliberationibus, ne inducias quidem obtinere potuerunt. Atque satis apparuit, in his deliberationibus idem esse Regis propositum, quo antea Pacificatio Gandavensis a Joanne Austriaco accepta et a Rege sancita erat, nimirum ut inter Provincias discordiae semina spargeret (31). Quod adeo ipsi ex voto successit.

---

(30) Bor, L. XIII, f. 136 A. sqq.
(31) Bor L. XIII f. 147 A. sqq.

Dum enim deliberationes Coloniae traherentur, Provinciae, quas diximus, Walonicae separatam pacem cum Rege pepigerunt. Quae res Duci Parmensi maximo adjumento (32) fuit, reliquas Provincias eo efficacius armis oppugnare pergenti.

Irrito facto eventu deliberationum congressus Coloniensis, dum vera consilia Regis erga Provincias aperirentur, animi de omni pace cum illo unquam facienda desperarunt; exinde magis magisque consiliis agitatum est, nonne idoneum esset Regi omnem obedientiae formam solemniter recusare, seque extraneo praesidio corroborare.

Hollandiae et Zeelandiae Ordines hanc quaestionem primi agitarunt, durante adhuc congressu Coloniae, (33) sed autore Principe Arausiaci ad decretum non pervenerunt, ne tali decreto irrevocabili timidiores ac dubitantes in Provinciis meridionalibus a susceptis inconsulte absterrerent, quum veresimile esset lapsu temporis cunctas Provincias, ut ita agerent, moveri posse.

Remotis demum causis omnibus moderationis, Ordi-

---

(32) Conf. STRADA *de bello belgico*, Dec. II. L. II. p. 87.

(33) Conf. *Advys wegens den Prins gegeven, in de vergadering der Staten van Zeeland op het verlaten van den Koning* 10 Aug. 1579. V. D. SPIEGEL, onuitgegeven stukken, Tom. II. N°. 33. p. 213.

nes Generales mense Martii 1581, Amstelodami congregati opus abjurationis susceperunt, (34) ita ut proximo conventu mense Julio Hagae Comitum habito illa res, omnibus consentienbus ad finem perduci posset; die enim 26 Julii decretum nomine Ordinum Generalium latum est, quippe ad quod collegium auctoritas summa transierat (35).

In illo autem declaratio exstat quantopere Rex Philippus antiquam libertatem et privilegia violaverit, ille igitur dignissimus dicitur, qui ab Ordinibus e summo regimine detrudatur, quod eo magis competere censent Ordines, cum omni modo Regem placare conati essent, atque in vanum omnia adhibuerint quibus sperarent illum ad consilia mutanda permovere. Ille vero his non commotus, tantum eo acerbiora mandata dedit, privilegiis e regione contraria.

Afflictatione generali populi ad fastigium redacta, excessu militum seditiosorum, Ordines harum Provinciarum maxime expedire censuerunt, foedere se cum Hollandia et Zeelandia conjungere, ut modo bel-

---

(34) In congregatione die 15 Martii Ordines Hollandiae jam statuerunt, Principem Arausiacum permovere summam rerum administrare, et de rebus publicis decernere, proprio nomine, et praetermisso nomine et sigillo regio.
Bor Auth. Stukken D. II p. 17.

(35) *Groot Plakaatboek*, Tom. I f. 25. Bor, L. XVI f. 35 B. et sqq.

lum intestinum comprimerent. Cum demum experientia toties docuerat, Regem ad meliorem mentem permovendum non esse, qui contra nuperrime Ordines eorumque sequaces extremo exitio damnaverat, Ordinibus ipsis nihil amplius superesse compertum est, quam ut, tot injuriis excitati, omni obedientia Regi unquam praestita sese abdicantes, aliunde remedia istorum malorum quaererent (36).

Itaque ab hoc ipso inde momento jubent, nullibi amplius Regis nomen usurpari et provisorie donec alius dominus his ditionibus aderit, adhiberi nomen *Praesidis et Concilii Status*, (van 't Hooft ende Landraedt).

Porro signa regia deleri jubent, omnesque incolas, magistratus sive privatos, a praestito jurejurando liberant sibique fidem praestari jubent, ut, sicut in fine affirmant, ipsi cuncta ita dirimerent ut patriae optime provideretur.

---

(36) *Doen weten, dat wy 't ghene voorz., overghemerckt, ende » door den uytersten noot ghedrongen synde, by ghemeynen » advys, ende accoorde, den Coning van Spaengien ver- » claart hebben ende verclaren mits desen, ipso jure ver- » vallen van syne heerschappye; ende voortaen van eghene » meyninghe te syn, denselven te kennen in eenighe saecken » den Prince, syne Hoochheit raeckende, noch synen Name » als Overheyt te gebruycken.*

(37) Bor, L. XVI f. 38 A.

Die 29 Julii sacramenti formulam constituunt, cunctis obligatoriam, Ordinibus Generalibus faciendam contra Regem aliosque patriae hostes.

Atque ita, nomine totius populi Regem ab omni potestate legitime exercenda in his ditionibus exuerunt, viam ineuntes alterum dominum, illa auctoritate induendi; ad quam delationem usque penes se, summum regimen retinere decreverunt. Hoc locum habuit inde a die 29 Julii 1581, usque ad diem 19 Febr. 1582, quo Dux Alençonius, vi pacti Plessiensis, Antverpiam venit.

CAPUT II.

RES EXTERNAE.

§ 1.

De rebus actis cum Imperatore et Imperio Germaniae.

Decreto diei 25 Sept. 1576 Ordines Generales jam statuerant ad exteros Principes de rebus suis et ratione earum agendarum referre (1).

Inter exteros autem, ad quos Ordines Generales se converterunt, principem locum tenebat Imperator Imperiumque Germaniae, quocum Provinciae Belgicae, si laxatiore, quam reliquae Imperii partes vinculo, certe foedere diei 26 Junii anni 1548 ita junctae erant, ut circulo Burgundico comprehensae, communibus Imperii tributis, et huc usque etiam jurisdictioni camerae

(1) Vid. *Resol.* d. 25 Sept. 1576 in *Besl. van de Staten Gen'.* D. I p. 4. *Conf. Res.* 7. Oct. ibid pag. 25, 26, et die 9 Oct. ibid. 32.

Imperialis obnoxiae essent (2). Erat praeterea naturalis conditionis nostrarum regionum ac praesentis causae cum Germania necessitudo; atque Maximilianus II Imperator ante, in causa politicae et ecclesiasticae libertatis Provinciarum Belgicarum apud aulam Hispanicam agenda, ostenderat palam (3), quantopere Belgium ipsi cordi esset.

Itaque litteris diei 4 Oct. 1576 ad eum missis, Ordines primo loco summum Provinciarum discrimen, (4) quo coacti erant arma capessere et manum Gubernaculo admovere, exponunt. Deinde non suam tantum rem agi monent, sed totius sancti Imperii, quod per hos continuos motus crebra damna patiebatur ita ut periculum esset ne Belgio subacto, gens impacatissima Iberi, etiam ulterius tyrannicam suam dominationem extenderet. Imperatoris patrocinium invocantes, magna cum vi rogant ut impediatur quominus e Germania auxilia rebellantibus ferantur.

Ad hanc epistolam, mortuo interim Maximiliano, ejus successor Rudolphus II respondit die 19 Oct. 1576 (5), se vestigia parentis sui, cui tranquillitas Provin-

(2) *Groot-Placaatboek*, III deel, 19 bl.
(3) Cf. Raumer's *Briefe*, I p. 172, 173, 176—178.
(4) *Besluiten der Staten Gen'.* I p. 227 seqq.
(5) *Besluiten van den Staten Gen'.* Tom. I. p. 276 seqq.

ciarum Belgicarum maxime curae fuerat, esse pressurum. Qua propter se primo quoque tempore commissarios, nec non Principes sancti Imperii designaturum, qui ejus nomine rei Belgicae tractationem susciperent: ut, sublatis motuum causis, omnia ad tranquillitatem reducerentur. Interim Ordines patientiam et quietem servare, admonuit.

Nec verba effectu caruerunt, quum die 30 Dec. legati Imperatoris in coetum Ordinum venerint litteras diei 7 Nov. offerentes, quibus (6) Imperator intercessionem suam offerebat conventionis cum Joanne Austriaco ineundae gratiâ, qui multum ita ad Edictum perpetuum conficiendum contulerunt (7).

Interim Ordines Generales die 5 Dec. 1576 litteras mittendas decreverunt ad concionem circuli Westphalici quibus, Principibus tunc congregatis, rerum praesentium conditionem exponerent. Itaque (8) narratione facta eorum, quae passi erant, illos proprii periculi imminentis recordari faciunt, exemplo afferentes quid Episcopatui Leodiensi jam audaciâ Hispanorum seditiosorum supervenisset, Principesque exorant, ut communi commodo bene consulant, omne auxilium ab *istis insidia-*

(6) *Besluiten v. d. Stat. Gen'.* I. p. 340, 341.
(7) Bor, L. X. f. 211 A et 221 seqq.
(8) *Besluiten van de Staten Gen.* I. p. 342.

toribus libertatis Germanicae avertendum, quas admonitiones eo libentius facere perhibent, quum se ex decreto Caroli V, omniumque Imperii Ordinum, socios et confoederatos sacri Imperii Germaniae haberent.

His litteris Principes die 17 Dec. responderunt (9) quod ad sanandas calamitates ab Ordinibus Generalibus citatas pertinet, se retulisse illud sapientiae Imperatoris; dum, quae constitutiones Imperii de pace publica statuerent, se ea observaturos promitterent ad prohibendum, ne auxilia rebellibus e Germania praestarentur.

Postquam Archidux Matthias die 3 Oct. 1577, aurem dans emissario Belgico, clam Vindobonam reliquerat, Imperator Rudolphus II, hoc facto inopinato perturbatus, statim die 4 Oct. suum esse arbitratus est, Joanni Austriaco declarare, fratrem suum, se inscio profectum esse, summae indignationi ipsius, *ist uns sunderlich misfallen und gantz bekümmerlich fürkommen;* se frustra omnia adhibuisse ad fugitivum reducendum, imo Electores sancti Imperii admonuisse, hunc si possent vi detinere, *damit seyn Lieben offgehalten werden und sich wiederum allhier zu begeben verneught werden mughe;* tandem dolorem sum-

---

(9) *Besl. van de Staten Gen'.* 1. p. 345.

mum hac de re Joanni professus est Imperator, nec non ipsi amicitiam sempiternam promisit (10).

Quibus consiliis motum, haec verba fecisse Imperatorem, incertum est, quod autem in mente Joannis dubia de ejus sinceritate orta essent, docent ipsius litterae ad Alexandrum Farnesium scriptae (11). Altera parte, Ordines Generales se paulo post ad Imperatorem contulerunt, scriptis litteris de 11 Nov. 1577 (12), quibus postquam gratias egissent eorum, quae is jam fecerat ad bonam et legitimam causam promovendam, iterum eum invitant ut apud Regem bona sua officia praestet ad efficiendum, quod Joannes Austriacus a Gubernatione Generali dimittatur, et quod in ejus locum substituatur aliquis affectione in Provincias praeditus atque Ordinibus acceptus, qualis unice citari potest Archidux Matthias; hujus sola nominatione, Provinciae ad quietem reduci possunt, cum Joannis indoles ita vulgo abhorreatur ut cives omnes extrema qualiacunque pati malint, quam huic se suaque committere.

Sequente anno Imperator, indicto coetu Principum Imperii, in urbe Wormsacia, missis huc litteris, Or-

---

(10) Bondam, III. p. 296.
(11) Strada *de bello Belgico*, decad. I L. IX p. 537.
(12) Bondam, T. IV. p. 66.

dines Generales ad causam proferendam arcessivit; (13) qui hunc in finem dominum de St. Aldegondc eo delegarunt (14). Is igitur habita oratione die 7 Maji, Principes adhortatus est Ordinum partes amplecti, iisque saltem favere, quum Ordines Generales numquam neglexissent Principi Imperii debitam reverentiam praestare et foedera, ex omni memoria inita, integra habere. Atque cum Imperator juramento se obligasset, ne toleraret ullam ditionem Imperii a peregrinis copiis offendi, ab illo, atque a concilio adsidente, legatus jure se petere arbitratus est, ut Principes collato exercitu laesa integritatis jura totius corporis vindicarent, Joannem Austriacum damnarent, omnemque commeatum rebellantibus interdicerent. Sed conditio Imperii Germanici illa aetate talis erat, ut non plus ab eo, vel ab Imperatore quam conciliandi opera exspectari posset. Qualis opera, ab Imperatore primum in deliberationibus cum Joanne Austriaco habitis, deinde in congressu Coloniense praestita est.

Ordines Generales cum audivissent mense Junii 1582 Imperatorem Germaniae Augustam Vindelicorum comitia

---

(13) *Receu lettres que l'Empereur avecque les Electeurs se doibt, brieff après Pasques transporter à Worms pour pacifier les affaires de pardecha.* *Res.* d. 22 Febr. 1578. apud Bondam, Tom. 5. p. 312.

(14) Bor, L. XII. f. 27 A — 32 A.

convocasse, solemnem legationem illuc mittere decreverunt, ut omnes calumnias refutaret, quae contra se spargerentur.

Die 9 Julii 1582 itaque, comprobarunt Instructionem, (15) qua legati in Germaniam profecturi, Ordinum defensionem susciperent.

In illa fuse explicabatur, quid ab initio inde factum esset ad ingenium Regis placandum, nec non saluti publicae providendum; inclusis etiam defectione a Rege declarata, die 26 Julii 1581, et delatione summi regiminis Duci d'Alençon; dum fide documentorum multa acta extraordinaria excusarentur.

Cuncta satis lucide se probare confidebant, ut sperarent Principes admiratione permoti nihil in Germania fieri sinerent, quod Ordinibus detrimento esset, neque ullas conquisitiones militum paterentur in ditionibus Germanicis. Quod si fieret, Ordines Generales profitentur se magis magisque Imperio accessuros, debitamque reverentiam Principibus praestituros esse.

Attamen non multum profecerunt dicti legati, cum coetus sponte dissolveretur, priusquam quid statutum esset, urgente etsi Imperatore, ut modus statueretur, quo in Provinciis Belgicis quies restitui possit, atque ita ab Imperio imminens periculum averteretur.

---

(15) Bor, L. XVII. f. 23 A.

§ II.

De rebus cum Regina Angliae actis.

Etiam inter prima decreta Ordinum Generalium hoc fuit ut legatio solemnis in Angliam mitteretur; (16) die 18 Oct. 1576 domino d'Aubigny instructione mandarunt, ut tanquam legatus, operam daret favorem Reginae consequendo ipsamque, si fieri possit, permovendo, quae causam Provinciarum susciperet, easque adjuvaret omni, quo decet, modo; imo apud Regem Hispaniarum intercederet, ejusque severitatem mitigaret (17).

Praeterea litteris hac occasione scriptis, invocarunt benevolentiam Reginae (18), saepe jam erga has Provincias compertam, nec non spem ab ipsa expressam, ut Provinciae ad statum redigerentur, in quo erant tempore Caroli V. Talibus auspiciis Reginae referre

---

(16) *Res.* dici 27 Sept. 1576 *Besl. v. d. St. Gen.* I p. 10.
» d. 2 Oct. I p. 17.
» d. 3 Oct. I p. 18.
» d. 4 Oct. I p. 21.
» d. 16 Oct. I p. 45.
» d. 23 Nov. I p. 138.
(17) Instructio d. 18 Oct. 1576 in *Besl. v. d. Staten Genl.* I p. 253.
(18) *Besl. v. d. St. Genl.* I p. 255—257.

tentant, quae in Provinciis perpetrata sunt, obtestantes quidquid actum esset, se ad id coactos fuisse sui defensionis causâ, et ut pacem redintegrarent cum vicinis, quum multum differre arbitrarentur bonum vasallum, domino suo obedientem, a servo per quemvis Hispanum gravissimis injuriis afficiendo. Supplicant igitur Reginam, ut opinionem erga Provincias non mutet neque patiatur, Provincias damno affici, quod summo detrimento foret ipsius subditis, mercaturam exercentibus.

Regina gaudium suum expressit, quoniam perciperet Ordines ratos non esse a domino legitimo deficere; quare respondit paratam se esse, horum vota explere, atque a Rege Philippo exigere, ut rerum restitutio in integrum atque ad statum pristinum fieret. (19).

Post reditum Ordinum Namurco, in dubio exitu deliberationum cum Joanne Austriaco, legatus Anglus conciliatoris munere ex officio functus est et inter alia congregatis Ordinibus declaravit (20); si Joannes Austriacus peregrinas copias educere nollet, se ipsis Reginae auxilia promittere posse. *Sa Majesté sera tousjours preste de conserver la liberté de les Etatz et leurs*

---

(19) *Besluiten v. d. St. Gen.* I. p. 284, 285.

(20) *Res.* d. 7 Jan. 1577 in *Besl. v. d. St. Genl* D. II p. 4 en 422.

anchiennes privileges, contre tous ceulx, qui desireront et tascheront de subjuguer si honnestes et loyaulx subjectz (21).

Quam ob rem gratias agunt Ordines Generales die 10 Jan. simul declarantes sibi nullam in animo esse mutationem, aut domini aut religionis: bona interim officia Reginae invocant, ad pacem promovendam.

Die 18 Jan. gaudio sunt percussi quod ex legato de Zweveghem, jam ex Anglia reduce, haec perciperent; peractis igitur gratiis (22) ei declarant, paratos se esse pacto cum Austriaco faciendo, uti ipsi liberet.

Anno vix praeterlapso, obortam discordiam inter Ordines Gen. et Joannem, legatus Anglus componere studuit (23), sed ab hoc superbe repulsus, re infecta recedere debuit, tantum Ordinum Generalium epistolam die 16 Febr. 1578 scriptam, Reginae tradens, quâ promissa auxilia implorant, cum Joannes Austriacus ad bonas rationes, reduci non posset » *by soo verre Don Jan tot gheene redene en wilde verstaen* (24).

Regina tamen consilio mutato pro auxiliis, pecuniae subsidia praestabat.

---

(21) *Res.* d. 10 Jan. *Besl. v. d. St. Gen.* pag. 10 et 425.
(22) *Res.* d. 18 Jan. *Besl. v. d. St. Gen.* II bl. 23 et 427.
(23) Bor L. XII. f. 11 B.
(24) Bor L. XII. f. 24 A.

Nec meliore successu usa est legatio Anglica, quae una cum Imperio Germanico et Gallia, mense Augusto 1578, nova pacificationis tentamina fecit, Joannes enim oblatas conditiones abnuit, quoniam a Rege cognoverat, ipsum statuisse res conciliationi Imperatoris deferre (25).

Cum interim Provinciae Catholicae, de fide Matthiae Archiducis dubiae, agere coepissent cum Duce d'Alençon, Regina e re sua esse arbitrata est omni modo, machinationes dicti Ducis eludere; hinc etiam Ordinibus subsidia denegavit, si hunc Ducem ad regimen pervenire passuri essent; porro petit inspectionem actuum scriptorum ad hanc rem pertinentium, tandem addidit minas, se contrarias partes secuturam, simul atque Ordines versus Galliam vergere coepissent.

Quum nihilominus idem periculum, a parte Galliae instaret, conventionem inceperunt cum Duce Alençonio die 13 Aug. 1578.

Minas tamen suas non explevit Regina, ob causam ex sequentibus satis apparentem; etiam Ducem Palatinum Casimirium cum copiis subsidiariis manere sivit; quem Gandavi egisse comperimus. (26).

---

(25) Bor L. XII. f. 46 B.
(26) Bor L. XIII. p. 75 sqq.

Mox mutato statu rerum, invidia Reginae in Gallos plane cessavit, exinde quo inter illos et Hispaniam dissidias movere successerit quare consilium Reginae fuit, Provincias quidem subsidiis sublevare sed non directe bellum cum Hispano gerere; (27) qualis agendi ratio, uti omnia commoda Angliae praeberet necesse fuit, dum hostem occupatum teneret, nec tamen virium intentio posceretur.

Hoc consilio Provinciis consulere perrexit, quae aperte pro illius commodo bellum videbantur gerere, sic dissidias a Duce Alençonio a. 1583 motas sedare tentavit; (28) Ordines admonens de periculo imminente, si Ducem fratremque ipsius, Galliae regem inimicos sibi redderent, dum ipsa non satis valeret, ut contra tantam vim Ordines defenderet. Atque haec adhortatio pactum provisorium properavit diei 28 Martii 1583. Regina tamen in dies magis magisque recessit a cura harum ditionum eo effectu, ut mortuis Principe Arausiaco et Duce Alençonio, nova legatio necessaria fuerit, ad subsidia imploranda ab unico populo, cujus tum intererat, ut coactio Provinciarum adhuc resistentium averteretur.

---

(27) v. d. Vynet *Memorial des troubles* L. v. c. 4 p. 78.
(28) Bor L. XVII f. 46 seqq.

Decreto d. 24 Aug. 1584, Ordines a Regina 6,000 milites petere statuerunt; sed missi in Angliam legati irritum fecerunt iter (29).

Tandem die 8 Dec. Regina Ordinibus Generalibus proposuit, eos omni modo sustinere, sed legatus Anglus, huc jam advena, cum percepisset, delationem summi regiminis Regi Gallico paratam esse, declaravit, cum res eo jam pervenissent, Reginam longe abesse ut statum deliberationum turbaret, adeoque quum mandatum suum exsequi non posset; sibi nihil superesset, nisi ut nuncium hac de re ad Reginam mitteret.

§ III.

De rebus actis cum Galliâ aliisque Regnis.

Decreto dierum 10 et 12 Oct. 1576 legationem in Galliam mittendam ordinarunt Ordines Generales, (30) quae ipsorum agendi rationem expurgaret litteris prolatis, quibus favorem Regis invocarunt ut susceptum opus patriam liberandi, rite perficerent; nec non cum per-

(29) Bor. L. XIX. f. 24 seqq.
(30) *Res.* 10 Oct. *Besl. v. d. St. Gen.* I. p 35. *Res.* 12 Oct. ibidem p. 38, 39.

cepissent aliquot Gallos Hispanis opitulaturos esse, ut Rex id prohiberet supplicaturi. » *Comme l'on entend* » *que aulcuns de vos subjectz s'ingèrent de lever* » *Gens pour s'en servir contre nous, il plaira a* » *S. M. d'y mectre ordre* (31).

Die 9 Nov. separatim agere instituunt cum Duce Alençonio, qui ideo legatum cum epistolâ huc misit (32). Acceptis vero his litteris, quae suspicionem petitionis, quasi ab Ordinibus Generalibus factae continebant, ut ipsi vices defensoris Provinciarum contra vim Hispanicam deferretur; Ordines (33) non dubitarunt declarare, nullam a se ejusmodi imprudentiam commissam esse.

Sic bona fide et fiducia labefactatis, verisimilitudo exigua aderat, Duci aliquam, qualem exoptabat, auctoritatem delatum iri (34).

Edicto perpetuo sancito Ordines Generales (35) decreverunt misso nuncio Ducem, hujus rei certiorem facere, atque hic simultate non depositâ, Ordinibus

---

(31) *Resl. v. d. St. Gen.* I. p. 240—242.

(32) *Res.* 9 Nov. ibidem p. 105 et Res. 16 Nov. ibidem p. 118.

(33) *Resl.* 26 Nov. ibid p. 146 *protestent n'avoir onques faict telle requeste au prejudice de leurs commissions, serments et protestations précédentes*

(34) BENTIVOGLIO *Storia di Fiandra L.* X. *p.* 176.

(35) *Res.* 18 Febr. 1577, *Besl. v. d. St. Gen.* II. p. 94.

die 8 Martii gratulatus est, (36) ipsorum vigilantiam laudans, in consiliis hostium irritis reddendis; qui (nempe Hispani) nisi ad meliores rationes rediissent, se etiam paratum fore affirmat, ut bonam caussam, victricem redderet. Admonet porro Ordines ne se dubia fide adversariorum, deprehendi paterentur, at urgerent exsecutionem conditionum; tandem declarans: »*de vostre part il ne scaurait venir,* »*qui ne me fust aggreable, pour l'entierre amitié,* »*que les effectz vous feront cognoistre quant en au-* »*rez besoing.*"

Ordines die 3 Oct. 1576 pariter missis litteris Episcopo Leodiensi sese commendare statuunt, eumque (37) admonent de vinculo communi, quo ab anno inde 1548 conjuncti fuerant, quando Imperator Carolus V ambas ditiones collegio Circuli Westphalici adjunxit ad unionem promovendam universam.

Pari sensu die 19 Oct., Episcopum orant, urbi Trajecti ad Mosam per missa praesidia succurrere; quae urbs pro dimidia parte utrique competebat (38).

Urbe tamen interim ab Hispanis captâ et devastata,

---

(36) *Besl. v. d. St Gen.* II p. 456.
(37) *Res.* 3 Oct. *Besl. v. d. Stat. Gen.* I. p. 19.
(38) *Besl. v. d. Stat. Gen.* I. p. 55, 70 et 265.

Ordines Generales Episcopum invitant surreptam ab Hispanis praedam non intra fines suas recipere (39).

Tentant Ordines Episcopum, ad partes contra Hispanos amplectendas permovere (40), item ut nonnulla loca praesidiis muniat.

Quonam vero in statu dictus Episcopus hoc tempore versaretur, conjici potest ex ejus deliberationibus apud congressum Circuli Westphalici Coloniae habitum, institutis. Missa enim legatione (41) die 16 Dec. 1576 auxilium et consilium Circuli implorabat, ut invasiones rebellium depopulatorum impedire posset, atque ut sciret quid sibi faciendum esset, si Ordines Belgii Trajectum ad Mosam obsidere vellent. Quoad auxilium praestandum, respondent Circulares hanc sibi competere quidem facultatem ex constitutione Imperii anni 1570, sed quum Circuli vires plane eo deficerent, primo rationes quaerendas esse, quibus aerarium suppleri posset, interim totius Imperii interventionem esse petendam. — Quid faciendum esset Episcopo in casu obsidionis, quum non dicebant Circulares, ipse opinionem

---

(39) *Res.* d. 26 Oct. ibidem p. 76.
» d. 20 Nov. » p. 130 et 274.

(40) *Res.* 15 Dec. 1576, *Besl. v. d. Stat. Gen.* I. p. 196. *tacher de décider les metiers et l'évèque de Liège de s'unir aux États.*

(41) *Besl. v. d. St. Gen.* I p. 349.

protulit, Joannem missa legatione permovendi ut praesidia ex dicta urbe avocaret, permutanda cum militibus Germanis, Austriaco et Episcopo jurantibus, interposita antiqua neutralitate foederibus confirmata, ut ita Ordines ab agressione abstinerentur: ad auctoritatem stabiliendam, simul petit subsidia, quum pauci equites jam sufficerent, qui metum excitarent. Plurium tamen sententiae fuerunt, ut res tanti momenti, ad vicinos etiam Circulos referretur, dum via pacificationum tentari deberet, si forte controversia omnis componi posset. Tandem cum non procederetur, legatis Leodii visum est, disputationibus supersedere, atque effectum deliberationum cum Austriaco instaurandarum exspectare; nec non decisionem congregationis vicinorum Circulorum, *Dietae* dictae, et in diem 14 Jan. 1577 convocatae; quae Coloniae conveniret.

Etiam libertatem retinet Episcopus eligendi, utrum ipse se supplicem ad Imperatorem convertat, an Circularium declarationi acquiescat. Edictum perpetuum angustias Episcopi sustulit; ad quod ineundum cum legatis Imperii ipse mediator, multa contulit, et gratum animum Ordinum meritus est (42).

---

(42) *Resolutiones* die 30 Jan. *Besl. v. d. St. Gen.* II p. 50; ibidem d. 7 Febr. p. 67; ibidem 15 Febr. p. 91; ibidem 22 Febr. p. 105.

Mense Majo 1582 e Lustiania legatio venit, quae ab Ordinibus Generalibus auxilium impetraret, quo Princeps Antonius dubia sua jura, ratione regni sperabat sustinere contra Philippum Hispaniae, hostem communem; qui post mortem regis Henrici sibi, ut proximum coronam deberi, perhibebat.

Duplex inde commodum Ordinibus arridebat; tum nova aggressio contra Regem Philippum, tum favor, quem, in casu boni successus obtinere possent Ordines pro mercatura civium suorum: nimiae tamen difficultates praevisae Ordines tergiversari fecerunt, et post crebras tantum instantias Lusitanus 12 navium addictionem accepit, quarum expensae 137,000 florenorum aestimatae, ab omnibus Provinciis pro rata parte erant praestandae; his vero cunctantibus, Ordines Hollandiae ob urgentem rei conditionem sex naves mittere statuerunt, ceteroquin res speratum effectum non habuit; victoriâ navali reportata per Hispanos die 26 Julii 1582 (43).

---

(43) Bor, L. XVII. f. 23 A. et f. 34 B.

CAPUT III.

RERUM DOMESTICARUM MODERAMEN.

§ 1.

Rationes cum Provinciis Hollandia et Zeelandia constitutae.

Ordines Generales, postquam decrevissent eamdem inire viam, quam ipsis, jam per plures annos, Hollanlandiae et Zeelandiae Ordines praeiverant, ante omnia operam dandam esse arbitrabantur, ut separatio hostilis inter has et reliquas Provincias, cujus causa evanuerat, certo pacto componeretur. Ideo die 25 Sept. 1576 (1), ad Concilium Status se converterunt petentes, ut mitterentur legati cum mandato, per Ordines Generales concepto, qui de hac Pacificatione deliberarent.

Talem conventionem litteris Concilio Status, uti unicum remedium describunt, quo bella intestina componi

(1) *Res.* d. 25 Sept. in *Besl. v. d. Stat. Gen'.* D. I. p. 3.

possent: dum mutua praestita opera, omnia conferrent, ad pacem restaurandam necessaria, quae conventio non multum abesse poterat, quum parum differentia adhuc inter ipsas exstiterit, quae praesertim ad religionem et recessum militum extraneorum attinebat: itaque cognito Odinum Generalium consilio de religione, veresimile erat, fore ut Provinciae duae se justae voluntati Regis (i. e. Ordinum Generalium, ejus locum tenentium) submittere vellent. Quibus omnibus perspectis Concilium Status commovent, legatos Hollandiae et Zeelandiae evocare, ut ab illis Provinciarum proposita cognoscerent (2). His litteris quum summum Concilium sententiam suam, jam d. 26 Sept. protulisset (3), d. 2 Oct. Ordines hanc in finem legatum miserunt, cum epistola, die 27 Sept. scripta (4); qua Principem Arausiacum duasque Provincias commovent mandatarios mittere ad deliberandum de pace interna. Insuper in concione paulo post declarant solemniter se foederare velle cum Principe Arausiaco et cum duabus Provinciis ejusdem partes sequentibus, ut conjunctis viribus, unâ eâdemque agendi ratione, ad militum discessum efficiendum vires adhiberent (5).

---

(2) *Besl. d. Staten Gen.* D. I. p. 5.
(3) Ibidem p. 6.
(4) Bor, L. IX. f. 173 A.
(5) *Res.* d. 5 Oct. *Besl. der Staten Gen.* D. I. p. 24, 25.

Haec approbantibus Principe suisque, Ordines Generales legatos ad hos miserunt qui illos moverent, die 12 Oct. Gandavum mandatarios de pace acturos mittere, cum ipsi jam tales constituissent, *pour communiquer avecque les députéz de sa dicte Excellence et des Etatz d'Hollande sur le subject de la dicte Pacification* (6). Idem quoque deberet stipulari ut quam primo quoque tempore induciae proclamarentur. Quum utraque pars haec proposita probasset, legati Gandavum profecti sunt, rite mandatis instructi, sic Ordines Generales suos jusserant pactum Bredanum antea conceptum emendare quidem, attamen instare ut omnia effectum sortirentur, quae commissarii Regis tunc proferrent. Debebant porro efficere, ut non tantum durante congressu induciae essent, sed etiam ut conjunctis viribus Hispanos arcerent. Ceterum liberam potestatem iisdem fecerunt agendi, prout ipsis aptissimum videretur, quomagis Pacificatio efficeretur (7).

Ordines Hollandiae et Zeelandiae nec non Princeps Arausiacus mandato edito die 12 Oct. (8). Legatis suis

---

(6) *Res.* d. 7 Oct. ibidem p. 26, *et Instruction pour le Seigneur de Oetinghen*, ibidem p. 235—238.

(7) *Mémoire pour les commis de la part de S. M. et des Etats des Pays-Bas, pour entrer en communication avecq ceulx du pays d'Hollande et Zelande.* In *Besl. der Stat. Gen'*. D. I. p. 238, 239.

(8) Tassis *Comment.* L. III. p. 236.

potestatem fecerunt agendi et concludendi, quicquid ad pacem et unionem regionum, earumque incolarum, maxime convenire intelligerent, omnino consentiente majore numero horum legatorum, in quovis casu facultatem iis dant contrahendi omne id, quod bono publico utile esse arbitrarentur. Huc spectabant inprimis ea, quae pertinent ad expulsionem Hispanorum, hostium communium; denique sese obligare poterant conditionibus aequis, *quantum salvis jussis Dei, atque honore incontaminato fieri queat.*

Haec qualiacunque dicti Ordines et Princeps Arausiacus ratahabere promittunt.

Hinc dicti legati die 19 Oct. (9) ita deliberationes instituerunt uti ante omnia, efficeretur status cessatum iri hostilitates liberumque commeatum per omne temporis spatium, quo durante congregati essent, fore.

Tum res ipsas aggressi, die 8 Nov. eo pervenerunt (10) ut pactum mutuo consensu constitutum sit, formâ Edicti regii conceptum, et per Concilium Status, nomine Regis confirmatum ac promulgatum, ac si cum Rege ipso transegissent. Illo statutum erat (11):

1°. Amnestia Generalis art. 1, 9—22.

---

(9) Bor, L. IX, f. 190 B.

(10) Ibid. f. 191 A. seqq.

(11) Tassis *Comment.* L. III p. 224.

2°. Mutui auxilii promissio, inprimis ad alienigenas milites aliosque peregrinos, expellendos et in perpetuum arcendos, art. 2.

3°. Hispanis eorumque sectatoribus ejectis, Ordines Generales congregarentur, eâ formâ, quâ factum erat, ubi anno 1555 Carolus V, Belgicas Provincias suo filio traderet.

Convenirent Ordines Generales, ad rempublicam ordinandam, cum universam, tum per partes. Quae ordinatio pertineret ad cultum religionis in Hollandia et Zeelandia, qui nunc erat stabiliendum, et ad alia cujusvis generis negotia consideranda: ut rite peragerentur cuncta sive Regis, sive unionis ac salutis Provinciarum interesset. Decretis autem Ordinum Generalium utraque pars se penitus subjiceret, art. 3.

4°. Liberum commercium, bello interruptum inter omnes Provincias instauraretur. Sed ne Hollandi et Zeelandi extra harum duarum Provinciarum fines aliquid contra cultum religionis Romano Catholicae suscipere possent, cavit art. 4.

Igitur hae Provinciae interea facultatem retinerent ordinandi cultum ecclesiasticum, uti lubebat.

5°. Omnia edicta de Haereticis suspenduntur; donec per Ordines Generales aliter statutum foret art. 5.

6°. Princeps Arausiacus manet Admiralus ac Gubernator regius Hollandiae et Zeelandiae, donec, rever-

sis Hispanis, per Ordines Generales aliter constitutum esset, art. 6.

Loca adeo, comprehensa mandato, quod a Rege datum erat, sed nondum ipsi subjecta, posset consentientibus eorum locorum incolis, et concessa iis, quam peterent satisfactione, recipere, art. 7.

7°. Interea in ditione, quam Princeps Arausiacus tuebatur, ea tantum decreta vel edicta vim legis haberent, quae ab ipso et consiliariis, magistratibus aliisque ministris publicis ejus ditionis essent comprobata; nullo praejudicio tamen facto auctoritati, quam in posterum supremum Concilium Regis jure vindicaturum esset, art. 8. Sic in praesenti eximebantur Hollandia et Zeelandia ab auctoritate Concilii Status, aliorumque conciliorum Generalium.

8. Ordines Generales decernerent, num aeris alieni, a Principe Arausiaco et Provinciis Hollandia ac Zeelandia propter binas expeditiones militares contracti onus, rejiciendum sit in Provincias universas, sive Generalitatem. art. 24.

Pacis Gandavensis, Edicto perpetuo confirmatae, effectus erat, ut quamvis Ordines Hollandiae et Zeelandiae ad Edictum perpetuum accedere cunctarentur, ab Hispanis non possent arma contra has ambas Provincias suscipi. Reipublicae statum, quem sibi Hollandia et Zeelandia, inde ab anno 1572 contra Hispani-

cam vim pugnantes constituerant, Rex ipse stabiliverat, donec universae reipublicae ab Ordinibus Generalibus esset praevisum. Et quoniam pace Gandavensi Princeps Arausiacus regius gubernator Hollandiae et Zeelandiae erat agnitus, his Provinciis ita imperio Gubernationis Generalis exemtis, Princeps Arausiacus antequam Edictum perpetuum ab Ordinibus Hollandiae et Zeelandiae esset acceptum Ordinesque Generales universam rempublicam composuissent, nullum obsequium Joanni Austriaco debebat; quod jam facto ostenderat, quum Joannis adhortationes, ut Edictum perpetuum acciperet, directe negasset (12) quoniam, sibi perspicuum erat Edictum perpetuum, minime cum Pacificatione Gandavensi convenire. Postquam mense Novembri Ordines Hollandiae, urbem Amstelodami structis insidiis fere occupavissent, urbs illa, missis legatis apud Ordines Generales de hac violatione pacis Gandavensis questa est, quo factum est ut Ordines Generales litteris d. 7 Dec. 1577 missis (13) Principem Arausiae jubebant de facto inquirere, atque in instigatores hujus aggressionis animadvertere, simul integritatem pacis Gandavensis ratione hujus urbis contra Hollandiae Ordines expoposcerunt.

---

(12) Bor. X. f. 226 B et f. 245 A.
(13) Bor L. XI. f. 312 B.

Pacto, die 19 Sept. a. 1580 ab Ordinibus Generalibus inito, quo Ducem Alençonium dominum receperunt, Ordines Hollandiae et Zeelandiae expresse accesserunt (14). In Articulo ejus 13° cantum erat, ut dictae duae Provinciae in eo statu manerent, quo nunc erant, tam ratione religionis, quam in ceteris causis tantum sese subjicientes auctoritati Ducis et Generalitatis in causis belli, in tributis et privilegiis, quae cum aliis Provinciis communia erant.

Hae tamen Provinciae Ducem dominum suum proclamare recusarunt, hunc ipsum art. 13 referentes, quo illis praesens conditio concessa erat in omnibus, quae non nominatim excepta erant; itaque, quum Principi Arausiae summum dominium jam detulissent, (15) hoc illi nunc rursus non auferendum esse, arbitrabantur.

Tandem consilium mutarunt, postquam Alençonius solemniter obtestatus esset, si dictae Provinciae ipsi jusjurandum solitum praestare vellent, se illas ad nihil esse obligaturum, nisi ut communiter bellum gererent et justas expensas solverent, ipso Arausiaco illos ut hoc jurarent, adhortante (16).

---

(14) Conf. L. XVII. f. 13 B.
(15) *Res.* 28 April 1576 *Besl. der St. v. Holland* bl. 59.
(16) BOR. L. XVII. f. 9 A. GR. PLAKAATBOEK D. I. bl. 79.

§ II.

Ministeriorum Regiminis, cum Generalis, tum Provincialis, procuratio ab Ordinibus Generalibus ordinata.

I. *Regimen Generale.* Comitia Ordinum Generalium, inprimis postquam Concilii Status nonnulli consiliarii, die 4 Sept. 1576 in vincula erant conjecti, efficacius in partem venire coeperunt summae administrationis rerum publicarum, Concilium Status tamen, formâ suâ, intactum reliquerunt, eique exsecutionem permiserunt. Igitur ad istud collegium, nutui prorsus Ordinum obsequens, decreta sua retulerunt, ab eo confirmanda et efficienda. Quid quod priora decreta Ordinum semper munita sunt superscriptione ea lata esse auspiciis Concilii Status, a Rege ad summam rerum commissi » *Resolution advisée soubz le bon plaisir du Conseil d'Estat* (16). Idem in scriptis, quibus Ordines Generales acta sua explicarunt, declarant se nihil decrevisse absque consensu Concilii » *avons toute chose*;

(17) Conf. *Resolutiones* mensis Sept. 1576 in *Besl. der Staten Genl.* D. I. p. 1—15.

emprins soubz l'adveu et congié du Conseil du Roi (17).

Nec de ulla re majoris cujusdam momenti decernebant, nisi addita hac eadem formula (18).

Rei bellicae directionem Ordines praesertim Concilio Status mandarunt, quamquam invaluit mos, ut Concilium litteras ad se missas, Ordinum judicio adferret (19).

In pangenda pace Gandavensi Ordines non neglexerunt e sociorum numero aliquem ad Concilium Status delegare qui ejus assensum peteret (20).

Dejecto autem de Gubernatione Austriaco et plerisque consiliariis hujus partes sequentibus, conditio aucctoritatis Concilii Status effici potest ex litteris Ordinum Generalium quibus Principem Arausiacum ad se evocarunt, ut, quum socius esset Concilii Status, Ordines consilio adjuvaret, »*omme te adviseren van alle saecken, van dese Landen* (21).

Secutae sunt deliberationes cum Archiduce Matthia,

---

(17) *Resl. v. d. Staten Genl.* D. I. p. 249.
(18) *Res.* d. 6 Oct. ibidem p. 25.
» 7 » » p. 28.
» 15 » » p. 43. cet.
(19) *Res.* d. 5 Oct. ibidem p. 22.
» 13 » » p. 41.
» 26 » » p. 77.
(20) *Res.* d. 4 Nov. ibidem p. 95.
(21) Bor L. XI. f. 285 B.

postquam hic, a privatis incitatus, in has terras advenerat. Quem etsi ipsis obtrudi Ordines Generales aegre ferebant, statuerunt tamen cum eo die 20 Oct. 1577 Antverpiam recepto, de Gubernatione Generali suscipienda deliberare, et a die inde 19 Oct. cum Provinciis singulis de conditionibus illi proponendis egerunt (22).

Perceptis omnium Provinciarum sententiis, Ordines Generales secundum eas, articulos die 8 Dec. constituerunt, conditiones continentes, quibus summam administrationem Archiduci deferrent.

His articulis declarant Ordines Generales, quod quum discessu Joannis Austriaci, cujus acta nimis nota sunt, quam ut ulla accusatione opus esset, Gubernatio Generalis vacaret, et omni aditu ad Regem interdicto illum absentem recte possent arbitrari; his igitur perspectis visum est Ordinibus Gubernationi providere et Archiducem Matthiam

---

(22) Bor. L. XI. f. 305 B. d. 19 Oct. Ordinibus Gelriae dimiserunt: *Concept van Instructie om Matthias tot landvoogd aen te neemen, aen de Staaten der afzonderlyke Gewesten overgezonden, om daerop te adviseren en resolveren.* Bondam Tom. IV. p. 13—23.

Transisalaniae dijudicanda pervenit eadem Instructio d. 1 Nov. bondam Tom. IV. p. 65.

Trajectini Ordines d. 20 Nov. declarant se Ordinum Generalium sententiam de illa amplecturos. Ibid. p. 110 Et easdem conditiones in Frisiam confirmandas missas fuisse effici potest in *Charterboek van Friesland* D. III. p. 1168.

huic muneri praeficere, provisorie autem et exspectata interim Regis confirmatione quam statim implorabunt; Archiducem vero jusjurandum praestare faciunt observandi integritatem Pacificationis Gandavensis et religionis Catholicae in statu, dicta pace constituto, et quum praecedentes Gubernatores ex Hispania missi sint (*ghemerckt de abuysen en misbruyckinghen*) Ordinibus placuit nonnullas conditiones obeundas constituere, ut fines ponerentur inter jus et injuriam, et quisque a dubiis et diffidentia liberaretur atque ita quies universa institui posset, quae unice pendet a conservatione religionis Romano Catholicae et obedientiae Regi rite legitimeque praestitae.

1. Itaque Gubernator Generalis agnoscat Regem ut naturalem et legitimum dominum totius regionis, obligetque se ad sustinenda et restituenda jura et pacta qualiacunque sint et efficienda decreta antea rite lata. Art. 1. 2. 3. 12. 16. 25.

2. Administret porro regimen Provinciarum, una cum Concilio ex viris constante, ab Ordinibus Generalibus nominatis, dum Gubernatori inhibeatur privatos praeterea consiliarios adhibere. Art. 4. 5.

3. In quocunque negotio alicujus momenti, etiam Gubernator teneatur, Ordines Generales consulere eorumque sententiam exsequi, ante omnia edicta consensu Ordinum indigeant; item litteras ad rem publicam

attinentes communicet omnes Concilio suo, quod deliberare nequeat, nisi plurimis consiliariis praesentibus, art. 8, 9, 10, 11.

4. Liberam permittat Ordinibus tum Generalibus, cum Provincialibus congregandi facultatem, quoties illis visum erit, sic etiam agendi cum vicino Principe vel Provincia, et quae illis tum placuerant Gubernator confirmare teneatur, art. 15, 23.

5. Gubernator, consentiente concilio suo, nominet ad honores militares omnes, milites autem non conscribat neque praesidia disponat, sine consensu *Ordinum* Generalium; neque Gubernatorem Provinciae nominet, nisi accepta Ordinum Provinciae approbatione, art. 18, 19, 20.

Occasione belli, res militares gerat, sed adhibito Concilio belli, ab Ordinibus tali opportunitate ipsi apponendo, art. 21.

6. Rei aerariae gestio penes Ordines Generales maneat; salvum retineat Gubernator quidquid ab Ordinibus, a recessu inde Joannis gestum esset, art. 22, 27.

Et denique si has conditiones infregerit Gubernator, Ordines facultatem sibi constituant, illum, admonitione frustra factâ, armis expellendi, art. 30 (23).

---

(23) Conf. BOR L. XII. f. 7 A. TASSIS *Comment.* L. IV. p. 286 seqq.

Has conditiones quamquam valde strictas, Archidux accepit die 17 Dec. 1577 et die 20 Jan. 1578, jusjurandum eas exsequendi Bruxellis praestitit, obligatus insuper decreto Ordinum Generalium, diei 8 Jan. ad Principem Arausiae assessorem sibi adjungendum. Ita ut edicta promulgarentur hoc nomine: *Matthias Gouverneur en Capiteyn Generael der Nederlanden, met advyse van onsen Neve ende Lieutenant Generael Prince van Orangien.*

Ad rei militaris vim augendam, auxiliumque Ducis Alençonii sibi comparandum, Ordines, ejus sollicitationibus obtemperantes, pacto d. 13 August. a. 1578, illum acceperunt velut Defensorem libertatis Belgicae contra Hispanorum tyrannidem: (*Beschermer van de liberteyt van de Nederlanden, teghen de tyrannie van de Spanjaerden*).

I. Dux provincias liberare debebat a superbia dominationis Hispanicae, ea lege ut per tres menses decem millia peditum et duo millia equitum usui Ordinum, suis viribus, praesto haberet; quae copiae, si dicto spatio bellum nondum esset compositum, ad tria millia peditum et quingentos augendae essent, utroque casu, indigenis et Gallis constantes, art. 1, 2, 3, 19.

Copiae illae auxiliariae, Ducis et Ordinum jussui communi obsequentur, art. 7, 21.

Dux se immiscere nullomodo potest iis, quae regi-

men civile (*'t stuk van politie ende 't Gouvernement*) spectant, quae penes Ordines, ut antea manebunt, art. 8.

Porro nullum singulare inibit foedus, nec pactum cum aliqua Provincia vel urbe, sine consensu Ordinum; atque cum se hostem Joannis jam declarasset, itidem hanc professionem amplificabit ut hostes reipublicae suos faciat, art. 9, 18.

Quod si finito bello alium vellent eligere dominum, Ordines illum prae reliquis assumturi sunt, art. 10, 11.

II. Ab altera parte Ordines ei promittunt, in securitatem ipsius tres urbes munitas tradere ab illo occupandas donec Ordines expensis satisfecerint, 12, 13, 17.

Urbes trans Mosam sitae, vi armorum captae, Duci ejusque descendentibus masculinis, deferentur. Quae conventione se dedunt, pro dimidia parte ei tradentur.

Loca vero, quae hostium irruptione ab unione Gandavensi avulsa erant, sed deinde vi armorum liberata, statim iterum foederis efficient partes, art. 14, 15, 16.

Tandem obligant se Ordines si in posterum bello affectus esset Dux Alençonius, eum tum iisdem conditionibus opitulari, excepto, si bellum gesserit cum Imperio Germano, Anglia sociisve, art. 22.

Utraque pars contrahentium ex hoc pacto exiguos cepit fructus et jam die 8 Nov. 1578 (24) Dux d'Alen-

---

(24) v. Meteren, L. VIII f. 157 B.

çon Ordinibus declaravit se munus Defensoris deposuisse.

Ordines Generales res. 23 Nov. 1578 gratias ei agunt eorum quae fecit, eumque variis modis blandiuntur, imo promittunt, quod si ante diem 1 Martii, pax nondum inita sit cum Rege, se deliberare vellent de delatione illi facienda summi regiminis, atque interim pacta cum Duce inita integra se servaturos affirmant (25).

Mense Maji 1579, explorandum jam constituerunt, num occasio idonea adesset, summam auctoritatem Duci d'Alençon deferendi, cum constaret, opus esse reipublicae Principe, qui praesens cuncta negotia dirimere posset.

Eundem in finem, mox Ordines Generales Hollandiam et Zeelandiam, scriptis litteris ad dominum assumendum movere conati sunt (26), magnopere omnia commoda talis acti commendantes, at frustra (27).

Sed ruptis Coloniae deliberationibus et denique facta abjuratione solemni obedientiae regi Philippo praestandae (28), rerum opportunitas plane mutata est, nec quid optabilius fuit quam Principem allicere qui compos esset, reipublicae deficienti certo auxilio succurrere. Patuit

---

(25) Bor, L. XIII. f. 75. A.
(26) Bor, L. XIII, f. 132 seqq.
(27) *Resol. Holl.* 18, 24 Aug. 1579.
(28) *Resol. Ord. Gen.* d. 26 Julii 1580. Bor, L. XVI. f. 35 seqq.

igitur Duci Alençonio via ad summam rerum; cum illo continuo communicationes continuaverant Ordines Generales ut apparet v. c. in defensione urbis Cambrai (29) nec non ex litteris Imperatoris Rudolphi II, die 21 Maji 1580 scriptis, quibus is Ordines hac de ambiguitate reprehensiones facit.

Ergo missa legatione Ordinum in Galliam, die 12 Sept. instauratae sunt deliberationes, eo effectu ut die 29 Sept. conventio inita sit, quae d. 23 Jan. 1581, confirmata est.

Secundum pactum illud Ordines Cenerales Ducem Alençonium eligunt dominum supremum omnium Provinciarum, quas repraesentant, juribus et conditionibus iisdem, quae ab antecessoribus concessa fuerant. Mortuo vero illo Duce, Ordines facultatem habent, ex heredibus ejus masculinis et legitimis, successorem eligendi, qui si minor esset rerum gestio et tutela penes Ordines manebit, art. 1, 2, 3.

Dux et privilegia et decreta et pacta, antea facta integra servabit, art. 5, 6, 9, 10, 11, 12, 14, 20.

Convenient Ordines, quoties iis visum sit, omnique obligatione liberabuntur erga Principem, simul ac is, foedus violaverit, art. 7, 26.

---

(29) Bor, L. XIV. f. 180 B.

Bellum geret Princeps, suo nomine accipietque ab Ordinibus certa subsidia; etiam exercitui praeficiet praefectum, Ordinibus gratum, art. 18, 19.

Regi Galliae persuadere conabitur ad bellum ferendum in Hispaniam. Neque tamen Provinciae nostrae unquam regno Gallico adjungi poterunt, art. 16.

Dux absque consensu Ordinum pacem vel conventiones inire nequit cum Rege Hispano neque cum alio Principe, in detrimentum harum ditionum, art. 23.

Denique, quoad religionem aliaque attinet, Hollandia et Zeelandia, manebunt in statu, quo nunc versantur, ceteroquin se submittent Duci et Ordinibus Generalibus, art. 13.

Die 10 Febr. 1582 Dux Alençonius ex Anglia profectus, ditionem nunc suam ingressus est, et d. 19 Febr. Dux Brabantiae proclamatus est, pariter ceterae Provinciae summam rerum ei detulerunt, exceptis Hollandia, Zeelandia et Trajecto ad Rhenum.

Qua ratione paulo post Dux omni auctoritate in Provinciis iis etiam, quae eum acceperant, exciderat, notissimum est (30).

---

(30) Vid. *Excusationem domini de la Feuchere*, apud v. METEREN, L. XI. f. 214 A. et BOR, L. XVII f. 41 A.

II. *Regimen Provinciale.*

Prospiciendi Gubernationi singularum Provinciarum necessitas et officium mox Ordinibus Generalibus extitit, post eorum congregationem. Jure autem nominandi Gubernatores Provinciarum, Ordines Generales eodem plane modo usi sunt ac Rex solitus erat; id circumscriptum tamen fuit aliquantum per Ordines Provinciales. Haec forma Gubernatores creandi prima statim opportunitate fere ita est constituta; uti postea solemniter obtinuit.

Prima scilicet occasio sese obtulit in Provinciis Groningae et Frisiae, quum ibi sub finem anni 1576, Gubernator regius, oborta seditione militum per emissarium Ordinum Generalium quemdam mota (31), in carcerem conjectus esset; quo facto nonnulli privati Bruxellas venerunt, ab Ordinibus novum Gubernatorem petentes incolis gratiorem (32).

Sed jam ante horum adventum, primo accepto nuncio, Ordines Generales in locum dejecti Hispani, Gubernatorem facere statuerunt Comitem de Bossu (33); in quo consilio tamen cedere debuerunt certae voluntati

---

(31) *Res.* d. 8 Dec. 1576 *Besl. v. d. St. Gen.* D. I. pag. 178.
(32) Bor L. X. f. 198.
(33) *Res.* d. 8 et 9 Dec. *Besl. v. d. St. Gen.* Dl. I. p. 178 et 180.

legatorum illum accipere recusantium, nec non Concilii Status. Decreverunt itaque demum, comitem Rennenbergensem, Gubernationi Frisiae, Groningae et Drenthenae a Concilio Status designatum, talem agnoscere (34).

Sed Ordines Provinciae Frisiae auctoritatem supremam Ordinum Generalium nondum agnoverant. Ubi igitur Comes sese eo conferebat, quaestio fuit necessaria, an ipsis decretum Ordinum Bruxellensium videretur esse ratumhabendum.

Hinc origo Edicti diei 12 Jan. 1577, quo novus Gubernator, Ordines Provinciales invitat, ut conveniant, atque mandatis perspectis, ipsum Gubernatorem agnoscant recipiantque cum Instructione per Ordines Generales decreta d. 11 Dec. 1576 » *om bevel te voeren over alle saecken, tot anderzins geordonneert sal worden* (35).

Mox Ordines Provinciae se eum accipere velle declarant, sese simul Ordinibus Generalibus adjuncturos esse promittentes (36). Ita obtinuit Provincia facultatem etiam in posterum, nominationem Gubernatoris confirmandi aut repellendi unde consuetudo orta est ut rogatio talis a Provincia conficeretur, nominatio autem per

---

(34) *Res.* d. 10 Dec. ibidem p. 185.
(35) *Charterboek van Vrieslandt*, D. III. p. 1087.
(36) *Charterb.* D. III. p. 1088.

Ordines Generales; qui jam hoc ipso exemplo normam sequebantur: dum cognita Provinciarum opinione, demum die 31 Aug. a. 1577 (37) definitivam facerent nominationem, *merkelycken weetende syne persoen aengenaem te wezen den Staten van den voirnoemden Landen.*

Hanc vero facultatem Provinciis tributam de Gubernatoris nominatione cognoscendi innovationem antiquae regulae fuisse, novissimus casus in ipsa Frisia probaverat. Mortuo enim Gubernatore Arembergensi, Ordines Provinciae ejus viduam certiorem fecerunt, se a Duce Albano petituros, ut filius in patris locum substitueretur (38). Albanus autem nemine contradicente, Comitem Megensem instituit successorem.

Quod institutum est, in nominando Gubernatore rationem habere consensus Ordinum singularum Provinciarum, id deinceps tempore et usu confirmatum est. Ita decretum nomine Ordinum et Archiducis latum, diei 11 Junii a. 1580, quo in locum Comitis Rennenbergensis Princeps Arausiacus Gubernator evasit, expresse verba haec continet: »*alsoe die Staten van Vrieslandt, aen ons instantelick verzocht hebben,*

(37) *Charterb.* D. III. p. 1150—1154.
(38) *Charterb.* D. III. p. 746. *Res.* d. 19 Aug. 1568.

dat wy daertoe souden willen nomineren den Prince van Oraengien (39).

Nominatio successoris facta est die 10 Nov. a. 1584, rogante ipsa Provincia: quae postquam Ordines Generales de morte Gubernatoris certiores fecisset, et pro illo Comitem Gulielmum Ludovicum Nassaviae petiisset, huic illa dignitas delata est (40).

Provincia Rheno-Trajectina aliud hujus rei offert exemplum. Principem Guilielmum I, a Rege ipso ejus Provinciae Gubernatorem creatum, Ordines Provinciales, Catholicae religioni vehementer addicti, praevalente quippe in illis Capitulorum opinione, quae sola tertium membrum horum Ordinum efficiebant accipere eique obedire noluerunt, quando Princeps anno 1577, vi mandati regii, illud regimen adire volebat. Ipsi autem ab Ordinibus Generalibus, aliquem exposcebant consiliis et opinioni suae magis convenientem, designaruntque Comitem de Bossu ut aptissimum (41); quem Ordines Generales decreto d. 26 Februarii interim ibi remanere jusserunt.

Mense tamen Octobri ejusdem anni altera pars, Prin-

---

(39) *Charterb.* D. IV. p. 165.
(40) *Charterb.* D. IV. p. 512.
(41) Vide Litteras Ordinum Ultrajecti, apud BONDAM, t. I. p. 148—180, mensis Februarii 1577, et apud BOR L. X. f. 220 A.

cipi favens, victrix evasit simulque Ordines Generales ex articulo 7 Pacificationis Gandavensis, decreverunt Principi Gubernationem competere, simul ac petitam dedisset satisfactionem; quae deinde locum obtinuit die 9 Octobris 1577. Atque sic tunc demum, Ordines decretum regium anni 1559 iterum effectum habere permiserunt.

In Gelria Ordines, magnâ concione habita Arnhemiae, diebus 13—19 Novembris 1577, de novo Gubernatori deliberandum, esse censuerunt » *wederom te delibereeren opt aennemen eines Stadholders over dese Lantscap* (42).

Proximâ proinde Concione die 28 Jan. 1578, petunt ab Archiduce atque Ordinibus ut hi alicui Gubernationem Provinciae committant (43). At Matthias Intructionis suae memor quâ prohibebatur sua sponte Gubernatorem nominare, Ordines Gelriae jubet in comitiis (*ghemeinen Landtsdach*) aptam personam designare, eamque sibi proponere; quam si expediebat, Gubernatorem nominaret (44). Quo factum est, ut

---

(42) Bondam, IV. p. 89.
(43) Bondam, t. IV. p. 356. Tom V. p. 14. Ibidem, p. 106 et p. 114.
(44) Vide litteras Matthiae, d. 26 Febr. 1578, apud bondam, V. p. 333.

Ordines Comitem Joannem Nassaviae designarent, Ordinesque Generales eundem nominarent.

Qui quum muneri renunciasset anno 1581, proponebatur per Ordines Provinciae Comes van den Berge; cujus consiliis prodiendi compertis, Comes de Nieuwenaer Gubernationem obtinuit Gelriae, mense Martii 1584 (45).

Transisalania, quae ab anno 1529, communem cum Frisia habuerat Gubernatorem, nunc etiam Rennenbergium appetere coepit, illumque ordo Equestris nominationi proposuit die 7 Octobris 1577, ita ut Ordines Generales hunc, decreto d. 9 Novembris nominarint (46); haec nominatio die 22 Nov. ad congregationem Ordinum Provincialium Windeshemii collectam delata est (47).

Ordines Generales declarant illâ se Transisalaniae Gubernatio quum vacaret, antea ejusdem Provinciae sententia auditâ (*daer op eerst gehad hebbende het advys van der voirsz. landen*) (48) aptum censuisse

---

(45) Bor L. XVIII. f. 50 A.

(46) v. Hattum *Geschiedenis van Zwolle*, Hoofds. 70. bl. 155. Revius *Daventria illustrata*, L. V. p. 487. Dumbar *in Analectis*, Tom. III. p. 504.

(47) Bondam T. IV. p. 117.

(48) Natura deliberationum de illo negotio, effici potest ex responsis per Rennenbergium Provinciae datis d. 9 Oct. 1577 Bondam T. IV. p. 5—7.

Comitem Rennenbergium, quem huic Gubernationi praeficerent, atque omni illa potestate ornarent quae Gubernatori competit ex pacto, d. 7 Jan. 1528 inito (49): salvis scilicet omnibus privilegiis et quaque remota innovatione.

Attamen quum Ordines Generales hoc decretum edidissent nomine proprio, et praetermissa regia auctoritate difficultas in concione Ordinum Provincialium exorta est, illum hocce modo recipiendi qui quidem d. 17 Dec. (50) litteras et legatos ad Rennenbergium miserunt eum in finem, ut illi referrent, quum *illius nominationis* mandatum more insolito esset confectum, Ordines Transisalani eum agnoscere nondum possent, sed contra illum etiam atque etiam invitare ut ab Ordinibus Generalibus diploma impetraret, justa forma conceptum (*uth name ende under 't segel van seyner Mat.*) Addiderunt autem se haec non petiisse ad minuendam Ordinum Generalium auctoritatem, sed bono animo in omnium salutem, et ad ligitimam formam servandam.

---

(49) v. Hoyink a Papendrecht *Analecta* Tom. III. p. 7—13 *Tractatus de translatione ditionis Trajectinae quoad temporalitatem in Caesm. Majestatem.*

(50) Bondam Tom. IV. p. 182 sqq. et Dumbar *Analecta* Tom. III. p. 492.

Sed hae difficultates cessaverunt tandem mense Julii 1578, novo Gubernatore totam fere Provinciam militibus suis jam occupante atque Ordinum Generalium auctoritate in diem accrescente (52).

Defectione Rennenbergii in lucem prodeunte, Ordines provinciales in ejus locum proponunt Comitem de Nieuwenaer; cui deinde ab Ordinibus Generalibus Gubernatoris dignitas est delata; ita ut is die 24 Augusti 1584, Daventriae magnâ pompâ reciperetur (53).

Modus Gubernatores nominandi, non tantum usu constitutus, verum etiam foederibus passim initis confirmatus est; gaudebant enim hac potestate Ordines Generales, quae omnino Regi competebat; ita ut Regis absentis personâ fungentes, ejusque jura exercentes, ac proinde cum illo tractantes, stipulari conarentur, nominationem Gubernatoris, non nisi assentientibus Ordinibus, esse valituram (54). Cum Archiduce Matthiâ agentes, novâ ratione regiminis constitutâ, in favorem Provinciarum plenam Gubernatorum nominationem sibi stipulati sunt. Articulo enim vigesimo conventionis cum illo initae (55) cogebatur Matthias, si Gubernatorem Pro-

---

(52) v. HATTUM hoofdst. 30 bl. 161.

(53) v. HATTUM hoofdst. 31 bl. 216. REVIUS *Dav. illustr.* L. V p. 502.

(54) Vide Edictum Perpetuum et acta Congressus Coloniensis.

(55) GROOT PLAKAATBOEK D. IV. f. 62. v. METEREN L. VII f. 441 A.

vinciae praeficere vellet, ipsius consensum exspectare, antequam quid statuere posset; quo factum est, ut paulatim mos fieret, Provincias, quem cuperent Gubernatorem, a summo regimine petere; ut hoc eundem huic honori praeficeret. In posterum etiam hanc consuetudinem stabilire opinati sunt, sicut apparet, e conventione cum Duce Alençonio, die 19 Sept. 1580 factâ, cujusque Articulo 11 pactum est, (56) Duci electionem Gubernatoris quidem fore, sed e tribus tantum candidatis, per Provinciam propositis.

Antequam per adventum Ducis, huic pacto effectus daretur, Ordines Generales ei a latere apposuerunt Concilium Status, cui pars supremae potestatis deferretur; etiam in nominandis Gubernatoribus, dictos consiliarios admonuerunt neminem constituere, nisi prius a Provincia propositum. » *En sullen voirsz. Gouverneurs staen ter denominatie alleen van de Provincien, daer die ghestelt sullen moeten werden* (57).

Eadem demum stipulatio repetita occurrit in articulo 11 Instructionis, quâ Principi Mauritio summum regimen, ab Ordinibus Generalibus delatum est, die 18 Augusti 1584 (58).

---

(56) GR. PLACAATBOEK D. IV. f. 72.

(57) Vide art. 5 Instructionis diei 13 Januarii, 1581 quae occurrit in GR. PLACAATBOEK D. IV. f. 77.

(58) GR. PLACAATBOEK D. V. f. 28.

Ex his omnibus igitur patet, quânam formâ designatio et nominatio Gubernatorum Provincialium fieret, ac quomodo paulatim Provinciis confirmatum sit jus designandi praefectum ipsis imponendum.

§ III.

De rei militaris Procuratione.

Proxima, uti vidimus, causa, ob quam Ordines Generales congregati erant, fuit militum Hispanorum, tumultuantium furor, contra quos cum jam quarumdam Provinciarum Ordines copias armatas conscribere coepissent, auctoritate ejus rei a Concilio Status obtenta, nunc procuratio defensionis communis venit ad Ordines Generales.

Ante omnia requirebatur, ut copiae in singulis Provinciis conscriptae, ad unicum exercitum conjungerentur. »*Il est fort requis de joindre les forces et faire ung corps, pour faire teste a l'ennemi* (59).

Eodem die, quo hoc decreverunt Ordines Generales, crearunt etiam duces et praefectos, ac cives ad arma suscipienda hortati sunt; item arcem Antverpiae eosdem aggredi jusserunt.

---

(59) *Res.* d. 25 Sept. 1576 in *Besl. der Staten Genl.* D. I. p. 2.

In triplici hoc negotio, militum conscribendorum, praefectorum nominandorum, arcibusque et omnino instrumentis bellicis prospiciendi, quod antea ad Gubernatricem Generalem cum Concilio Status pertinuerat, Ordines Generales deinceps ita versari perrexerunt, ut jura, eo pertinentia, partim ipsi exercuerint, partim tempore succedente, aliis exercenda mandaverint.

I. Die 2 Octobris instituerunt variis decretis Ordines Generales milites conscribere, nomine Regis et Ordinum, adhibendos ad pacificationem promovendam, in utilitatem ejusdem Regis, nec non sacro-sanctae *religionis* Catholicae.

Die 19 Oct. de conductione 4,000 militum, quot Concilium-belli proposuerat, cum Principe Arausiae deliberandum statuunt; quale decretum die 27 Octobris repetunt: die autem 6 Novembris cohortes Scoticas perfecto foedere in militiam suscipere decernunt.

Mense Novembri jam certum modum constituerant, quo copiae conscribendae ad definitum numerum perductae erant, ita ut tali statu cautum erat, ne *illis* per mensem, plus quam certam ac definitam pecuniae summam (450,000 fl.) impendere necesse esset (60).

---

(60) Vide tabulam, totius exercitus compositionem et expensas referentem, susceptam in Excursu, N°. 27 A. et B. ad *Res*. d. 25 Nov. in *Besl. der Stat. Genl.* D. I. p. 293—307.

Sic Ordines Generales possidebant facultatem, milites propria auctoritate colligendi, item si necesse esset, eos dimittendi; sive poenae causa id fieret, sive alia ratione adigerentur; v. c. die 28 Jan. 1577 Ordines Generales 125 pedites et 25 equites, ob graves injurias perpetratas, e militia exauctoraverunt; eorum praefecto imperantes, decreto huic statim obtemperare, illosque, ut jam stipendiis solutos, dimittere (61). Similiter, milites omnes supervacuos dimitti jubent, die 11 Maji.

Tales exauctorationes continuarunt Ordines Generales, etsi Joannes Austriacus eos ad bellum Hollandiae inferendum instigaret (62); eum vero valde urgentem eluserunt declarando, quod circa hujus Provinciae consilia, expectarent certiores notiones. Compertis tamen Austriaci proditionis consiliis, Ordines Generales non solum studuerunt, exercitum colligere ex indigenis constantem, sed etiam e Germania mercenarios arcessiverunt.

Archiduce Matthiâ loco Joannis Austriaci, Gubernatore Generali accepto, Ordines ejus potestatem militarem, Instructione ipsi tradita, accurate definiverunt (63). Articulo enim ejus 19, arbitrio Ordinum

---

(61) *Res.* d. 7 Febr. in *Besl. der Stat. Genl.* D. II. p. 66.
(62) Bor, L. X. f. 248 A.
(63) Bor, L. XII. f. 7 A sqq.

relictum erat copias conscribere, ac praesidia in urbibus disponere. Articulo 21, concilio a latere Archiducis creando, administratio rerum majoris momenti defertur tempore belli.

Clade acceptâ prope Gemblours, omnibus viribus damnum perlatum reficere decreverunt; futurum exercitus statum et expensarum modum definientes, atque ut res expeditius administrarentur, expresse Gubernatori et Senatui faciunt potestatem, quoscunque velint milites, conquirendi; nullo consensu Ordinum necessarie praecedente, neque conformatione sequente: » *qu'il convient que son Altèze et le conseil, soyent auctorisez de toute levée des gens de guerre, à condition que la soldée n'excède point la somme des aydes, a scavoir 600,000 florins par mois* (64).

Hoc decretum casum spectat, quo Ordines, quando milites ab Archiduce conscripti se movere nolebant, prius quam certiores essent facti de approbatione et consensu Ordinum Generalium, hi ipsi responderunt; conventionem a Gubernatore, ex mente edicti diei 13 Februarii (65) factam admonentes.

Mense Decembri a. 1579, Ordines Antverpiae congre-

---

(64) *Res.* d. 13 Febr. 1578, apud BONDAM, T. V. p. 211.
(65) Conf. BONDAM, Tom. V. p. 351; *Resol. Ord. Gen.* d. 3 Martii 1578.

gati, sollicitabantur a Principe Arausiae, ad meliorem rerum bellicarum administrationem instituendam, novasque copias Germanicas excipiendas. Propositiones hae quidem caruerunt effectu; tamen aperuerunt viam, Concilio supremo mandatum componendi, cui munus de rebus publicis accurate cognoscendi, committeretur; et praeter alia, etiam milites conscribendi et dimittendi; prouti expediret (66).

Ex conditione tamen minus valida exercitus, quae in sequente anno conspicua fiebat, satis constat, has deliberationes effectu suo caruisse, et aliis supervenientibus consiliis, sepositas esse.

Tandem, die 13 Januarii a. 1581, latum est ab Ordinibus Generalibus decretum, quo Concilium constituebatur supremum, quod una cum Principe ab ordinibus eligendo (*neffens de hooge Overigheit, door de Staten te kiezen*), rerum administrationem, decisionem et exsecutionem haberet (67). Huic collegio, ex articulo 3 mandati, competebat facultas ad honores provehendi istos, qui antea a Rege subministrabantur. Praeterea ei mandatum erat copias conscribere et exauctorare » *ende bovendien sullen de Ovrigheit ende*

---

(66) Vid. art. 3 Instructionis apud BOR, L. XIV. f. 175 A.

(67) GROOT PLAKAATBOEK, Tom. IV. f. 76. *Artikelen voor den Lantraede inghestelt by de geunieerde Provincien, tot directie voor alle saeken en versekeringhe van den Lande.*

Raet mogen aennemen ofte casseren 't krygsvolk, behoudens niet te boven gaande de geconsenteerde middelen.

Eadem potestas Principi Arausiaco oblata est, mense Jan. a. 1583; quo occiso, Ordines Generales summan rerum ad Mauritium deferentes, eidem Art. decimo (68) plenam libertatem tradiderunt, rei militaris instruendae.

II. Ordines Generales extenderunt auctoritatem militarem, etiam ad constituendos praefectos, nec non ad regimen disciplinae servandum contra seditiosae audaciae vim. Die 25 Sept. 1576 Ordines Generales Ducem de Aarschot summum praefectum militiae creant; Comitem autem de Lalaing assessorem et dominum de Goignies hujus Loci-tenentem (Lieutenant). Magistrum equitum constituunt d. 1 Oct.; dum praefecturam peditum mandandam deferunt Concilio Status; at instructiones horum omnium componendas eidem collegio tradunt (69).

Mox die 7 Oct. classiariis praeficiunt ducem eumque fidem jurare cogunt, Ordinibus ac Regi praestandam.

Decreto die 21 Oct. impostorem declarant quemdam d'Avila, rei nauticae praefectum se perhibentem, ac

---

(68) Groot plakaatboek, D. V. f. 28 d. 18 Aug. 1584.

(69) *Res.* die 8 Oct. 1576 in *Besl. der Stat. Genl.* D. I. p. 29.

per Concilium Status revocari jubent mandatum regium, quo iste gloriatus erat.

Die 23 Nov. praefectum annonae militibus subministrandae designant; cujus confirmationem et commissionem a Concilio Status petunt, ita tamen secundum meram formam agentes; animadversioni enim Concilii Status ita respondent, (70) ut dicant se, jam die 23 Nov. nominationem definitivam fecisse, adeoque recusationem Concilii ne admitti quidem posse, arbitrarentur.

Porro (71) nominant auditorem militarem generalem, qui in excessus militiae effrenatae quotidie accrescentes inquireret: ad quos coërcendos etiam d. 14 Feb. a. 1577 statuerunt, quidquid incolis abstulissent, hoc stipendiis merendis deducendum esse. Sic et alias leges die 11 Febr. contra populatores ferunt.

Allatis nunciis die 17 Apr. perturbationum in castris obortarum poenam severissimam inferendam esse decreverunt; sic litteris d. 23 Apr. jubent praefectum castrensem, dominum de la Motte, in noxios animadvertere.

Die 21 Maji Ordines Generales dimittunt auditorem Generalem, nimis negligenter munere suo fungentem.

III. Summa munimentorum arciumque directio, olim,

---

(70) *Res.* d. 27 Nov. in *Besl. der Stat. Gen.* D. I. p. 149.
(71) *Res.* d. 6 Dec. ibidem p. 174.

ante omnia Regi competens, exinde Concilio Status devoluta, pariter paulatim ad competentiam Ordinum transiit; qui auctoritatem suam in eo maxime exercuerunt, disjiciendo munimenta, tam diu terrorem excitantia indigenarum.

Sic princeps Arausiae ex universo voto, proposuit arces versus urbes apertas facere; ne amplius civibus imminerent. Ordines haec consilia quidem comprobarunt; (72) at cum Joanne Austriaco hoc ipso tempore agentes, effectum deliberationum exspectandum decernebant, prius quam Regem, in jure ipsi competente exercendo, laederent.

Paulo post, die 4 Dec., ausi sunt ulterius procedere, statuentes, ut arces interim nec reficerentur, nec demolirentur.

Die 6 Febr. 1577 adhuc arbitrati sunt, Concilio Status competere facultatem de demolitione cognoscendi; dum suâ intercessione, demolitionem arcis Groninganae ab illo corpore impetrandam promittunt.

Sollicitantibus civibus Antverpiae, ediderunt Ordines Gen. jussa die 27 Apr., arcem dictae urbis ita distruendi, ut mercatoribus diffidentiam ciere nullo modo amplius posset; servantes tamen formam legitimam,

---

(72) *Res.* 29 Nov. 1576 in *Besl. der Staten Genl.* D. I. p. 155.

etiam nunc executionem hujus decreti Concilio Status mandant »*que de la part des Etatz Gen. sera re-*»*commandé la dicte requeste au conseil d'Etat, afin*»*que leurs Seigneuries veullent pourvoir*, (73) *que*»*le chasteau soit démantelé.*" E quibus verbis constat, eos Concilio solam agendi facultatem detulisse.

Ultrajectini, arcem imminentem pertaesi, saepe Ordines sollicitaverunt, ut demolitionem ejus obtinerent; (74) quae concessa est demum d. 19 Aug. a 1577. »*de algemeine Staten gehoert hebbende d'ad-*»*vys van de Edelen, hebben verclaert te consentee-*»*ren dat het casteel van Utrecht van der stadt zy-*»*de ghedemanteleert worde* (75). Atqui ita nulla mentio fiebat Concilii Status; quippe quod supervacuum evasisset; quum Ordines jam dudum potiti essent omni potestate agendi et jussa dandi.

Conditionibus latis, quibus Archidux Matthias, Gubernator fiebat Generalis, pars quaedam auctoritatis militaris circa nominationem centurionum et administrationem munimentorum, certis regulis Ordinibus subjecta est; quum ipsi Ordines, articulo 18 conventi-

---

(73) *Res.* d. 27 April. 1577. in *Besl. der Staten Genl.* D. II. p. 258.

(74) *Conf.* BONDAM T. II. p. 314 et 333. BOR. X. f. 253 B.

(75) BONDAM T. III. f. 153.

onis diei 8 Dec. 1577, sibi stipulati sint facultatem eos praeficiendi, quos honoribus ornari cuperent; quorumque solemnis creatio tunc fieret a Gubernatore, ejusve concilio. Articulo 25 munimenta administranda sibi retinuerunt Ordines; Gubernator autem hac in re, secundum opinionem Ordinum agere cogebatur, si quid novi efficere vellet.

Hanc potestatem dictis articulis constitutam mox adhibuerunt, ad exercitum in pugnâ prope Gemblours commissâ fugatum, reficiendum, nec non ad securitatem urbium augendam, imprimis earum, quae impetui hostium expositae erant. Sic mense Februario complures instituerunt nominationes honorum militarium, ex consilio Principis Arausiae; qui plurimum apud Ordines eo tempore valebat (76). Comitem de Bossu summum ducem omnium copiarum fecerunt; item Comitem de Ghendt magistrum equitum creantes (77), antecessoribus eorum dimissis; quoniam hi officia sua praestare desierant. Verentes autem progressus Austriaci, urbes Bruxellas et Mechliniam praesidiis munierunt (78); nec non Gubernatori et Principi plenam

---

(76) Bor. L. XII. f. 28 B.

(77) Grotii *Annales* L. III. Tassis *Comment* L. IV. cap. LVI. et LX.

(78) Bor. L. X. f. 14 A.

rerum bellicarum administrationem detulerunt (*entierre conduite et provision*) (79). Hoc decreto sane Gubernator aliquam majorem potestatem nactus est, vel potius ejus loco Princeps Arausiacus, reverâ ejusdem vicarius; sicut ex ipsius decreto constat, die 18 Februarii lato (80), in quo Matthias, audito Principe, et Concilio Status, *avons par le meur conseil de nostre treschier cousin d'Orange et des consaulx d'Etat de S. M. advisé et resollu*" Gubernatori Frisiae imperavit arces hostium defensioni inutiles demoliri; reliqua e contrario munimenta instaurare ac reficere.

Summo Concilio constituto die 13 Januarii a. 1581, Ordines Generales creationem praefectorum ita articulo 15 mandati definiunt, ut quicunque Gubernator Generalis fieret, ducem supremum militiae, nominaret consentiente Concilio Status; cui reliquorum militibus praefectorum confirmatio competeret (81). Huic casui quum jam antea provisum esset, recipiendo Ducem Alençonium, eidem etiam delata est facultas aliquem exercitui praeficiendi (82).

---

(79) Vide *Res. Ord. Gen.* d. 4 Febr. 1578 apud BONDAM T. V. p. 210.

(80) *Charterboek van Vriesland.* D. III. f. 1184.

(81) Art. 25, 16, 17 Instructionis, in GROOT PLACAATBOEK D. IV. f. 76.

(82) Art. 19 conventionis cum eodem initae; GROOT PLACAATBOEK D. IV. f. 73.

Post violationem vero dicti foederis, per ipsum Alençonium commissam, res incertae fluctuarunt; quippe delatio summae rerum, in Principem Arausiae facienda, ad optatum finem non potuerit perduci, nec quidquam generaliter statutum sit.

Mortuo demum Guillielmo I, Ordines Generales Mauritio summam rerum deferentes, accedente Concilio, distributionem munerum bellicorum terrâ marique eidem detulerunt (83).

§ IV.

De re aeraria procuranda.

Rem aerariam Generalem, cujus administratio hucusque penes regium Concilium Redituum atque Expensarum fuerat, procurandam susceperunt Ordines Generales multo ampliore auctoritate, quam quae ad istud Concilium pertinuerat; effectu tamen potestati, quam sibi sumserant, parum respondente. Necessitatis aerario communi prospiciendi, initium fecerunt Ordines Generales decreto d. 30 Sept. anni 1576, quo unicuique civi obligatio imposita est, pro facultatibus aliquam pecuniae summam, mutui nomine, conferendi.

---

(83) Art. 10. 12 Instructionis in GROOT PLACAATBOEK D. V. f. 28.

I. Instructio hac occasione iis delata, quibus cura cives permovendi ad praestationem pecuniae petitae, commissa erat; haec, inquam, precario Ordinum vota exprimit »*Espérans lesdictz Etatz, que personne ne se vouldra excuser d'assister à son propre bien et dont dépend la totale masse du maintiennement du pays* (84). Attamen si quis facultatibus pollens, aliquid in usum publicum conferre nollet, talem Ordines Generales confidentes juri, ipsis ex temporum occasione competenti, e legibus exsecutione cogendum damnarunt.

Cito effectum edicti hujus comperimus in decreto Ordinum d. 4 Oct., quo nominatim 12 Abbates pecuniam mutuo dare jubentur, ita ut ab his in solidum exigantur 16 millia L. Arth.: a Duce d'Aarschot pariter 10 millia petuntur; et sic a pluribus (85).

Die 11 Oct. coërcitionis modos adhiberi jubent Ordines in invitos, atque iterum alacritatem ministris suis commendant.

II. Quod quum sufficere nondum videretur, alia etiam remedia amplexi sunt Ordines Generales, iisdem

---

(84) *Res.* diei 30 Sept. 1576 in *Besl. v. d. Stat. Gen.* D. I. p. 12.

(85) *Res.* d. 4, 8, 9, 13 Oct. in *Besl. v. d. Stat. Gen.* D. I. p. 20—42.

ministris potestatem facientes, cambium contrahendi; editis obligationibus in onus Provinciarum, per Ordines repraesentatarum (86). Neque in illo conquieverunt, sed majorem etiam auctoritatem usurpantes, imperarunt, quaestoribus Antverpiae reductioni redituum (*reduction des rentes*) praefectis, item aliis fisci administratoribus, omnem summam paratam transmittere (87).

Porro urgente praeside Concilii supremi, inire statuunt contractus ad vitam, dum singulae Provinciae obligentur intra quatuordecim dies, ter centies mille florenos praestare (88).

Die 30 Oct. bona Hispanorum publicari jubent, immemores edicti d. 7 Oct., quo ipsi Concilium Status adegerant, in posterum publicationes suspendere. Pariter pecuniam e bonis regiis redactam adhibere decernunt (89).

Atque ita res pecuniaria magis aptâ ratione ordinari coepit; quem in finem, aerarii Praefectum jubent ta-

---

(86) Videatur Instruction pour ceulx qui seront commis à la levée des deniers comptans, qui se pourrant pratiquer des inhabitans pour assister aulx Etats, à l'effect de la resolution sur la pacification et retraicte des Espaignolz. *In Besluit. der Stat. Gen.* D. I. p.

(87) *Res.* d. 4 Oct. ibidem p. 20.

(88) *Res.* d. 23 Oct. ibidem p. 67.

(89) *Res.* d. 27 Nov. ibidem p. 78.

bulas expensarum conficere; quales confectae jam erant tempore Caroli V.

Die 16 Nov. decernunt Ordines, propositione generali conceptâ, per omnes Provincias tributa colligi; quam ob rem, in posterum Provinciarum opinionem explorandam statuunt, eo cum effectu ut jam die 6 Dec. decreta, hac de re nomine Regis lata, in Provinciis exsecutioni tradi possent.

Apud exteros aes alienum mutuandi, periculum fecerunt die jam 5 Oct. quando legatum eo scopo Coloniam Agrippinam miserunt. Eodem tendunt nominantes aliquem, qui cum Regina Angliae paciscere-tur, (90) atque illud, cum illo effectu ut mox ex Anglia viginti millia Librarum St. missa sint; addita promissione hanc summam ad 100 millia L. St. auctum iri; primae summae Ordines die 17 Febr. 1777 dederunt apocham atque in securitatem debiti sex urbes sese obligare jubent, quas vicissim Ordines se indemnes servaturos esse promittunt (91).

---

(90) *Res.* d. 16 Oct et 3 Dec. 1576 in *Besl. der Staten Genl.* D I. p. 45 et 166 et excursus ad diem 26 Dec. ibid p. 335 sqq.

(91) Vid. ᴢᴏᴇ XI. f. 306 B. » *Brieven van Indemniteyt van* » *de Staten, verleent aen de ses steden die haere ver-* » *bantbrieven hebben ghepasseert tot behoeff van de Co-* » *ninginne.*

Centesimum colligere pleraequae Provinciae probaverant, uti patet ex decreto d. 3 Nov. 1577. Legati vero Provinciarum Lille, Duaci, Orchisi deficiente mandato suo, auctoritatem Concilii Status invocarunt, ut missis litteris, tributum hocce ab Ordinibus Provincialibus peterent (*Lettres de réquisition du Conseil d'Etat, afin de se conformer à la Généralité de la contribution du Centiesme*).

Dictae tamen Provinciae, adigi tantum potuerunt, ut factâ stipulatione certam pecuniae summam centesimum aequiparantem, praestarent; quam Concilium Status acceptam se ferre fateretur (92).

Ejusmodi conventiones etiam initae sunt cum aliis Provinciis (93). In re monetaria Ordines Generales etiam aliquot fecerunt dispositiones ad varios abusus tollendos v. c. die 31 Jan. tempus definiunt per quod nummi in Franco Gallia percussi, erogari adhuc possent, eodem die modum, pecuniae aestimandae in Hollandia et Zeelandia receptum statuunt sequi.

Tabulas a singulis provinciis faciendas decernunt (94), quibus quaeque declararet, quid huc usque ad expen-

---

(92) *Res.* dierum 14. 17. 20 Jan. et 11 Febr. 1577. in *Besl. der Staten Genl.* D II. p. 15—28 et p. 77.

(93) *Res.* d. 28 et 30 Jan. ibidem p. 42 et 48.

(94) *Res.* 2 d. 24 Febr. 1577 ibidem p. 109.

sas ferendas contulisset, cujus declarationis exemplum, quod attinet ad Ordines Trajecti ad Rhenum extat (95). Decreto d. 27 Febr. quaestorem jubent 80,000 L. Arth. mutuari, cui decreto expresse additum est Provincias, Liloam, Duacum, Orchesin, Artesiam et Tornacum literarum obligationem etiam subsignasse.

Nihilominus in diem increvit pecuniae inopia, cum Provinciae moram facerent, in praestanda pecuniâ concessa, et ab altera parte Ordines satisfacere deberent obligationibus initis: sic etiam solvenda erant 300,000 florenorum, Joanni Austriaco promissorum. Die 28 Febr. aerarium plane exhaustum fuisse compertum est, quando sese obligarunt Ordines cuidam mercatori, debitum 10,000 flor. solvere simul atque ex Provinciis debita tributa prodiissent.

Ideo d. 5 Martii in Germania pecuniam conquiri quacunque conditione jusserunt; eodem die coacti sunt a custode curiae mille ducenti florenos mutuum petere, ut nautis stipendia debita solverentur.

Mense Aprili conditio aerarii nondum prospera fuit nam, quum Ordines dominum de Zweveghem in Angliam mittere decrevissent, ut sicut mense Oct. 1576 fecerat pecuniae copiam memorabilem impetra-

---

(95) v. Bondam Tom. II. p. 170—180.

ret, atque pro eâ tributa Generalia oppigneraret, ipse Zweveghem munus istud suscipere recusavit, quoniam addictio vectigalium Generalium, nullius erat auctoritatis, quam diu ea nondum formâ immutabili essent constituta (96).

Accepto Joanne Austriaco Gubernatore Generali, Ordines Generales (97) aes alienum, inde a tempore initae unionis contractum, restituendum esse statuunt; quâ propter, integra in tres annos retinent tributa, huc usque concessa, generali insuper vectigali pro singilis capitibus praestando agere instituunt (98), a qua nemo excipiendus erat. Opinati etiam sunt legatos dimittere in provincias eas, quae nihil in communem salutem contulerant; ut illae permoverentur tributa Generalia et capitis vectigal praestare.

Dictum tributum, a singulis Provinciis petere debuerunt Ordines Generales: v. c. quando id a concione Gelriae, Neomagi habita petierunt die 1 Julii 1577 (99), rationem allegabant cum expensae quotidianae 30 millia flor. excederent, se ad summas angustias esse redactos, sibi itaque nihil superesse nisi, magnam pecuniae vim conquirere: »*dat er met grote deliberatie*,

---

(96) *Res* d. 12 Apr. in *Besl. d. Staten Genl.* D. II. p. 2:5.
(97) *Res.* d. 5 Maji 1577 ibidem p. 272.
(98) *Res* d. 7. 8. 16 Maji 1577 ibidem, p. 273—298.
(99) Vid. BONDAM T. III p. 1.

»*ende under die auctoriteit van Z. M., ende wel-*
»*behaghen van den Staten ende leden van hueren*
»*Landen ende Provincien, respectivelyck gead-*
»*viseert worde, dat men zoude moghen accorderen,*
»*ende lichten eyn capitaell ende hooftsettinge op*
»*alle inwoonderen, nae advenant van hueren facul-*
»*teit, ghereet te betaelen sonder exceptie van eeni-*
»*gen persoon.*

Haec vectigalis de capitibus praestandi propositio in Gelria v. c. post aliquot contestationes, ab Ordinibus provincialibus, conversa est in praestationem 100,000 florenorum (100).

Exeunte anno 1577 cum Regina Angliae inita est conventio, quâ illa auctoritatem suam nec non urbis Londini Ordinibus largitur ut 100,000 L. St. foenori desumerentur (101). Spe reconciliationis sublata cum Dom Joanne, Ordines Generales mense Januario 1578 decreverunt ei ultro bellum inferre, ideoque omnibus viribus ad munitionem transeundum esse, exercitumque numerosum colligendum jusserunt.

Expensae per mensem fere decies centenis millibus flor. aestimari poterant, (102) quae longe excedebant

(100) Bondam T. III. p. 130 d. 6 Aug. 1577.
(101) Bor L. XI. f. 307 B.
(102) v. Meteren L. VIII. f. 151.

exspectatam redituum summam, quae erat circiter 400,000 flerenorum. Nova remedia hinc proponere necesse erat, et tributa ordinaria ad 600,000 flor. proferri rogantes, (103) die 11 Januarii modum exactionis in rem sumtuariam ponendum, quam citissime considerari oportere, Provinciis nunciarunt, pariter abrogatione portorii Provinciae nomine a mercibus illatis exigendi, propositâ (104).

Provinciae Hollandia et Zeelandia quum separatum aerarium haberent, e quo pro rata parta auxilia alebantur in usum communem, sicut iis concessum erat, (105) etiam nunc sufficere poterant obligatione, praeter numerum concessum, totam cohortem oneri suo suscipiendi. (106).

Atque Regina in locum 5000 militum, quos foedere d. 7 Jan. 1578 huc mittere promiserat, mutato consilio, quovis mense 400,000 flor. praestabat exercitui in Germania collecto impendendorum, quique ibi Comite Palatino Joanne Casimirio duce, erat.

Ad supplendum quod supputationi suae defuerit, Ordines insuper decreverunt, quaque hebdomade tri-

---

(103) Hoc concessum fuisse satis constat. videatur *Res.* 13 Febr. apud BONDAM V. p. 211.

(104) *Res. Ord. Genl.* d. 11 Jan. 1578 apud BONDAM T. IV. p. 248—268.

(105) *Res.* d. 23 Dec. 1577 in *Besl. d. Staten Genl.*

(106) Bor. L. XII. f. 23 B.

butum exigere ex aedificiis et agris; quod tributum tres menses valere statuunt (107).

Hae dispositiones cunctae exspectationem fefellerunt, ob negligentiam Provinciarum in illis observandis, ita ut die 2 Martii Ordines Generales Provincias admonere deberent ut solverentur, quae die 25 Febr. soluta esse debuissent. Supervenerunt motus in Flandria oborti, dissidiae inter ducem Casimirium et Alençonium, plena interruptio in praestatione per nonnullas Provincias facienda; haec omnia Archiducem cogebant declarare, si intra 14 dies Provinciae debita sua non contulissent, res plane forent perditas (108).

Tandem talibus minis stipendia unius mensis colligere potuerunt Ordines; quae stipendia plus quam 900,000 flor. nunc per mensem consumserunt. Tantis sumtibus onerati Ordines Generales, impensis omnibus viribus non amplius avertere potuerunt interruptionem praeparationum factarum, antequam ullam utilitatem praebuissent (109).

---

(107) *Res.* d. 19 Febr. apud BONDAM, V. p. 283. » *Syne hoocheit, Mynheir de Prince van Oranien, met den raet van State, mitsgaders de Generale Staten, considererende dat de Generale middelen alleen niet genoechsam en syn, omt furnissement van de penninghen behoefftlic tot de bewaernisse deser Landen hebben by gemeynen accorde geresolveert, op de goede believte ende welbehagen van elck van de Provincien......*

(108) BOR, L. XII. f. 59. B.

(109) TASSIS *Comment.* L. IV. p. 302.

In concione Antverpiensi etiam propositum est, ut bellum omnino sustineretur, communi vi: »*dat de* »*provincien hen verbonden 't accepteren en te exe*- »*cuteren gelyckelick de Generale middelen met sulcke* »*vermeerdering, als by gemeyne verwilliging sal* »*mogen accordeert worden* (110).

Ex litteris correctoriis d. 26 Nov. 1579 a Principe Arausiaco ad Ordines Antverpiae delatis, status pecuniae publicae clare intelligi potest, quum in iis affirmet Princeps, nihil redituum concessorum fere in aerarium pervenisse; quum proventus tributorum Generalium vel in alium usum essent conversi, vel neglecti, imo plane suppressi: »*Dat de Generale middelen welke* »*behooren te wezen onze voornaemste sterkte, voor* »*d' meerendeel verkeert, verachtelyk, ofte geheel* »*verhindert worden* (111).

Quem abusum attribuit mori, quo quaeque Provincia, imo quaeque urbs, pro lubitu de pecunia publica conferenda disponebat; potius suum commodum privatum spectans, quam salutem communem.

Auctore Arausiaco, initio anni 1580, Provinciis emendationes variae proposita sunt; rationem pecuniariam spectantes, quas legati committentibus suis, singuli in de-

---

(110) Bor, L. 13. f. 101 A.
(111) *Dicta epistola*, apud Bor L XIV f. 168 A.

liberationem offerrent, ut proximis comitiis rite muniti mandatis, de illa re decernere possent (112).

Quamquam haec irrita evaserint, tamen Princeps non a conamine bonum publicum promovendi se abstinuit, atque proximo coetu mense Aprili Ordines etiam atque etiam hortatus est, res publicas majore intentione decernere, atque a mandantibus facultatem impetrare aerario melius providendi; deferendo administrationem rei aerariae uni capiti vel collegio (113).

Justitia hujus ratiocinationis permoti, revera decreto d. 6 Oct. 1580 sequentem congregationem in urbe Delphis indixerunt Ordines: delegati ad quam induti esse deberent mandato, potestatem iis deferente ad regimen reficiendum atque fisci administrationem ordinandam: secundum exemplum praecepti, legatis Flandriae, d. 26 Sept. 1580, editi. Huic consilio obsequuntur Ordines Generales d. 13 Jan. 1581 (114), defectus regiminis providentes et constituto Concilio supremo, penes quod summa rerum administratio foret; speciatim potestas ope exsecutionis exigendi tributa a Provinciis quidem concessa sed dilata: etiam

---

(112) Bor, L. XIV. f. 194 A.

(113) Bor, L. XV. f. 206 B.

(114) Vid. groot plakaatboek, Tom. IV. f. 76. Artikelen voor den Lantraet inghestelt by de geunieerde provincien tot directie van alle saeken.

distribuendi copias inde exortas ad varios usus, prout aptissimum appareret; eâ tamen lege, ut impensae necessariae ad rem bellicam provincialem, prius deducerentur; dum Concilio esset nominatio quaestorum, e tribus candidatis a Provincia propositis, art. 2.

Dicto collegio non licitum fuit nova onera provinciis imponere; urgente vero necessitate 100,000 fl. suo periculo mutuari poterat, 3, 4.

Attamen haec constitutio utilitatem exspectatam non produxit; uti constat ex epistola Principis, scripta termino ad periculum collegii faciendum praestituto, jam appropinquante, art. 1, 18.

In illa (115) affirmat Princeps, usum Concilii nullum fuisse ob defectum potestatis ad compellendos invitos ac difficultatem sibi, in modis adhibendis redituum obtinendorum oppositam, addens: » *ende daer geen* » *auctoriteit en is, hoe sal daer syn Crysks-ordeninghe* » *voor de finantien. Ende sooveel aengaat d'Au-* » *toriteit, nemmermeer en sal er geen syn, by dien,* » *die niet en vermogen eenen armen stuyver uit te* » *gheven: gelick noch ick, noch den Raet niet en hebben.*

His angustiis sese expedire tentantes, Duci Alençonio Gubernatori statum rerum indicaverunt, simul remedia

(115) *Epist.* d. 1 Dec. 1581, apud BOR L. XVI. f. 36 B.

exponentes, quae aderant, ita ut rationibus totius accepti et soluti computatis, secundum eas d. 11 Apr. 1582 aptum et sufficientem inde modum tributorum instaurarent Provinciae (116).

Subsequentibus deliberationibus Ordines Generales administrationem pecuniarum Concilio Status iterum detulerunt, quaestore Generali adjuncto, ut possint solvere 2,400,000 fl. ex articulo 18 foederis cum Alençonio initi 19 Sept. 1580, debitos: quae summa deinde aucta est ad 3,000,000 fl. per annum et 50,000 fl. singulis sex mensibus; ut ex his satisfieret Generalitati, delata sunt jura portorii item tributa rei sumtuariae imposita, in Provinciis illis colligenda, quae se non conventione ab hoc onere liberaverant, atque pro illis certum subsidium Generalitati praestare se obligaverant.

Mortuo Principe Guilielmo I, Ordines Generales die 18 Augusti 1584 decreverunt unionem Provinciarum integram servare: at Comiti Mauritio conjunctim cum Concilio Status aerarii administrationem detulerunt, plenamque facultatem tributa ab Ordinibus concessa exsequendi, sive essent ordinaria, sive extraordinaria, (117) porro in belli usum poenas infligere poterant detrectantibus; sic etiam ministros collectioni praepositos, nec non

---

(116) Bor, L. XVII. f. 13 B.

(117) Instructio Principi data in *Groot Placaatboek*, Tom. V. f. 28.

[illegible] Resolutien v. d. Stat. Gen. I. p. 340, 341.
[illegible] I. [illegible] p. 221 seqq.
[illegible] Resolutien van de Staten Gen. I. p 342.

Pes[illegible]

Joan[illegible]

profec[illegible]

[illegible]

kommen: se frustra [illegible]

ducendum, imo Elector[illegible]

hunc si possent vi detine[illegible]

gehalten werden und zu [illegible]

geben verneught werden m[illegible]

,76

mitt

que

nem

ui ha

e cense

ngulari

collegia singularia, mandatis instruere et nominare iisdem licebat, art. 5.

Princeps et Concilium Provinciis adesse deberent, ad collectiones accelerandas, supplendae summae, quam singula praestare promiserat necessarias: nec non pro tributis Generalibus, art. 6.

Libera potestas Principi facta est de pecunia collecta disponendi; absque ullis rationibus reddendis alteri, art. 7.

Summa urgente necessitate proprio nomine usque ad 100,000 fl. conscribere poterat; ceteroquin jus tributa imponendi vel aes alienum contrahendi, unice Ordinibus Generalibus competeret, art. 10.

Singulis tribus mensibus elapsis, ad Ordines deferat Princeps, accuratam redituum rationem, item expensarum totius reipublicae, art. 12.

Eodem conventu Ordines Generales Provincias obligarunt uno quoque mense deinceps, 306,000 fl. praestare (118).

---

(118) Bor, L. XIX. f. 6 A.

§ V.

De rebus ecclesiasticis.

Tempore congregationis Ordinum Generalium nova religio in omnibus Provinciis Belgicis, praeterquam in Hollandia et Zeelandia, erat compressa. Albanus et Requesentius effecerant, ut ecclesia Romano-Catholica, jam per decreta Concilii Tridentini distinctius a Protestantica separata, sola esset quae publice permitteretur. Ab altera parte Ordines Hollandiae anno 1575, et anno sequente Zeelandiae etiam, suspenderant cultum religionis Romano-Catholicae.

In hac rerum conditione Ordines Generales censuerunt, primum discrepantiam Hollandiam et Zeelandiam inter et reliquas Provincias ad certam legem esse revocandam, donec rei ecclesiasticae generali ordinatione prospici posset.

Igitur Pacificatione Gandavensi die 8 Nov. 1576 statutum est:

1°. Ut Hollandis, Zeelandis aliisve non permitteretur, extra Hollandiam et Zeelandiam locosque cum iis junctos, aliquid suscipere adversus religionem Romano-Catholicam, ejusque cultum, nec alicui hac de causa, injuriam inferre (119).

---

(119) Modi, quo hanc stipulationem applicandam esse censerent, Ordines Generales exemplum ostenderunt in singulari casu,

2°. Ut omnia Edicta contra haereticos suspenderentur, donec ab Ordinibus Generalibus aliter jussum esset.

Ita sumebatur, aliquando fieri posse, ut generalis regula de religionis cultu stabiliretur. Neque Unio paulo post d. 9 Jan. a. 1577 Bruxellis inita, huic rei adversabatur.

Ordinibus autem Generalibus, uti Principi Arausiaco, persuasum erat, sine tolerantia, quae dicitur, religionis, non posse Belgicarum Provinciarum statum ad pacem componi.

---

anno sequente. Cum enim aliquis, quoniam interfuerat concioni religionis Reformatae, a magistratu *Mechliniae* capite damnaretur et Princeps Arausiacus pro illo intercederet apud Ordines Generales, responderunt se mandatum dedisse, ut magistratus ageret ex mente pacis Gandavensis: sibi tamen videri eum, qui interfuerat concioni vetitae, perturbatorem quietis publicae esse. Si enim Princeps ad conscientiae libertatem, articulo 13 pacificationis concessam provocaret, manifesto illum errare; quum ibi ageretur tantum de incolis Hollandiae et Zeelandiae, in reliquis Provinciis morantibus; quodsi idigena contra praecepta sanctae ecclesiae agat, culpam conspicue adesse, ideoque reum poenam, quam meruerit subire debere. *Resol.* d. 12 Junii 1577 in *Besl. d. Stat. Gen.* II p. 270, 71. Bor L. X. fol. 247 A. et B. De modo, quo Ordines Generales intercesserunt apud magistratum civitatis Goes, Vid. *Resol.* d. 16 Dec. 1576 l. c. I. p. 202; et in pactionibus urbium Amstelodami et Haarlemi cum Ordinibus Hollandiae *Resol.* d. 24 Dec. ibid. p. 216. Vid. porro Edictum Ordinum Generalium d. 22 April a. 1578. Apud Bor L. XII. fol. 25 B. et Tassis Comment. L IV. p. 309.

Haec vero tolerantia quo pertineret, vario modo intelligi poterat.

1°. Restringi enim poterat intra conscientiae, quae dicitur, libertatem; de qua concedenda, jam ante Albani adventum, omnes fere, tum Romano-Catholici, tum novae religionis sectatores, inter se consentiebant (120).

2°. Aut extendi ad liberum utriusque religionis cultum, si minus publicum, privatum certe.

Atque huic extensioni favebant Ordines Generales, cum Principe Arausiaco consentientes. Eamque sententiam suam diserte firmarunt declaratione d. 10 Dec. a. 1577 (121).

---

(120) Quam libertatem etiam Unionem Trajectinam ineuntes velut generalem normam posuerunt art. 13, *mits dat een ijder particulier in syn Religie vry sal moghen blyven, ende dat men niemandt, ter cause van Religie, sal moghen achterhalen ofte ondersoecken, volgende de voirsz. Pacificatie tot Ghendt.*

(121) Utrechts Plakaatboek, D. I. p. 56. *Dat onse meyninghe nooit en is geweest, die voorsz. Pacificatie in eenige punten te krenken; gelyc deselve onse meyninghe niet en is te beswaren, nadeel te doen, in teghendeel derselver Pacificatie, den geenen, die hen hebben vertrokken van de voorsz. Roomsche Religie, hun hebben deur die Pacificatie gevoegt, versaempt en vereenigt met ons, alsoo dieselve oick versekeren nooit van meyninghe geweest te zyn, die geene die van der Cath. religie en zyn, te schenden ofte beschadigen, oft voorstel, de oefeninghe te beletten, maar ons alle gaerder allomme te gedragen in vrintschap ende vereeniginghe.*

Eodem consilio facta est, in conventu Ordinum Generalium Antverpiae d. 12 Julii 1578 delineatio, quae singulis Provinciis proponeretur, pacis de religione universalis, interim constituendae, his capitibus (122).

1°. Ne de religione, quae armis neque conservari, nec introduci, neque opprimi possit, ulla dissensio oriatur, unusquisque, cujuscunque sit religionis, sive ecclesiasticus, sive laicus, libere agat vivatque, sua sibi religione utens.

2°. Ut in locis Hollandiae aliisve religio Romano-Catholica, a quibus nunc est exclusa, instauretur ea conditione ut ibi quiete et sine molestia exerceri queat, dummodo in una civitate, numerus eorum, qui huic religioni dediti sunt major quam centenarius sit.

3°. Eaedem conditiones Reformatae religioni tribuuntur, in locis iis, ubi Catholica dominetur.

4°. Cura magistratus cujusque civitatis, loca designabuntur ad exercitium religionis idonea, ea lege, ut Catholicis dentur sacella, vel loca ubi aliquando talia exstiterint; Reformatis autem loca ab ecclesiis Catholicis distantia, ad avertendas rixas.

5°. In his locis unicuique licebit suum cultum exercere, omnesque ritus sibi proprios celebrare.

---

(122) Tassii *Commentariorum*, L. IV. p. 310.

6°. Ubi exercitium religionis liberum non erit, nemo afficietur molestia, ob ea quae domi suae egerit. Quisque abstineat se ne alius in exercitio religionis, verbo aut facto, conturbet. Cujusque religionis ministris vetitum sit, quid docere ad discordiam excitandam.

In contrahendis matrimoniis antiquae formae retineantur sed in Hollandia et Zeelandia nuptiae ad tertium et quartum gradum initae valeant, etiam ibi restrictio affinitatis spiritualis abrogetur.

7°. Nulla fiet distinctio respectu religionis in aditu concedendo ad scholas, hospitia, aliave instituta publica.

8°. Utriusque religionis sectatores aeque capaces sint, modo sint idonei, ad obeunda munera publica, sive justitiae, sive alia. Sed has quidem sapientiae plenas conditiones plures Provinciae, velut Hannonia, Ultrajectum et Gelria, continuo repudiarunt, ita ut Ordinum Generalium consilium effectum non haberet (123). Datum ab Ordinibus Hollandiae et Zeelandiae exemplum, suspendendi cultum religionis Romano-Catholicae, effecerat, ut aliarum Provinciarum Ordines non majorem libertatem Reformatae largiendam esse arbitrarentur, neque cedendum auctoritati Ordinum Generalium.

---

(123) Bor L. XII. f. 40 B seqq.

Ordines autem Generales in eadem sententia perstiterunt. Quemadmodum intelligitur ex mandato ultimo, mense Novembri a. 1579 legatis ad congressum Coloniensem abeuntibus dato (124). Quo poposcerunt Ordines, ut Rex Reformatis liberum exercitium religionis concederet, iis in locis, ubi ea nunc libera esset; quod si fieret, Ordines curarent, ut Catholica ibi etiam aequis conditionibus restitueretur, quin operam darent, ut cultus Reformatus certis finibus contineretur.

Exeunte anno 1580, conventione facta cum Duce Alençonio, praesentem statum ecclesiasticum confirmari curarunt Ordines articulis 12, 13, 14 (125).

---

(124) *Res.* d. 23, 24 Nov. *Ord. Gen.* apud Bor, L. XIII, f. 143 A — 146 B.

(125) Bor, L. XVII. f. 11 B seqq.

TANTUM.

THESES.

I.

Jure Romano bonae fidei possessor, non nisi fructuum perceptorum dominus dici potest.

II.

Depositarius, propter impensas necessarias, depositum retinere potest.

III.

Dominus rei fructuariae, ad reparationes art. 605 descriptas, cogi potest.

IV.

Recte in art. 478 praecipitur, concilii familiae esse, non tutoris, judicare an minoris emancipationi locus sit.

THESES.

V.

Non recte hospitiorum, quae dicuntur bona, bonis publicis adnumerantur.

VI.

Ex occupatione rite confirmata nascitur dominium.

VII.

Ordines Hollandiae et Zeelandiae ante Unionem Trajectinam imperio Hispanico resistentes, eadem jura sibi vindicarunt, atque ea, quae Ordines Generales totius Belgii exercuerunt.

VIII.

Congregatio Ordinum Generalium, anno 1576, a recto usu juris consociationis orta est.

IX.

Non ferendum, uti Magna Brittannia contendit recte fieri, ut naves neutrales sub comitatu vela facientes, visitationi seu examini subjiciantur.

X.

Gracchi leges agrarias proponentes, magnum damnum patriae suae intulerunt.

THESES.

XI.

Modus, quo legatus Gallus de la Vauguion, ab anno inde 1776, rebus publicis patriae nostrae se immiscere ausus est, juri gentium omnino repugnabat.

XII.

Mos, lege fundamentali constitutus, in eligendis delegatis ad alterum collegium Ordinum Generalium, utilitati publicae judicandus est maxime convenire.

[illegible]